Fulke

# GVLIELMI FVLCONIS Angli, ad Epistolam Stanislai Hosy Varmiensis Episcopi, de expresso Dei verbo, Responsio.

* *

¶ *Londini, per* Henricum Middletonum, pro Georgio Bishop.

*Anno.* 1578.

# Ad Lectorem.

CVM ex Academia in Aulam euocatus ab illustrissimo Comite Lecestrensi Domino meo colendissimo, ad sacras literas ipsi eiusq; famulæ enarrandas, aliquandiu huic curæ totus incubuissem: nescio quo siue casu siue proposito, inter pauculos illos libros, quos tum studiorum meorum gratia circumferre solitus eram, reperi hanc Stanislai Hosy Epistolam relictam atq; repositam. Quam cùm maiori attentione quàm priùs (memini enim me legisse eam antea) euoluere cœpissem atq; excutere, sensi hominem eloquentiæ viribus confisum, Deo & hominibus securè, immò licentiosè illudere. Cùm igitur indignè tulissem sacrarum literarum certitudinem, authoritatem, maiestatem, leuissimi hominis garrulitate, non modò in dubium vocari, sed palam ludibrio exponi: agrè manum à tabula cohibere potui, quin licèt impar dicendi gloria, veritatis tamen asserendæ studio superior, quæ nuda potiùs, quàm verborum ambagibus, quasi meretricio cultu ornata, ostendi maiuult, aduersus illius phale-

 ratas

*ratas ineptias calamum stringerem. Animum addebat suspicio hæc, quam tunc facile arripui, suppositum fuisse libellum hunc arte alicuius Papistæ, vel vt me in eius sententiam pertraheret, vel saltem vt in asserenda scripturæ sanctæ dignitate remissiorem redderet. Scripsi itaq; responsionem hanc, quæ cùm pluribus postmodum annis neglecta inter cartulas meas iacuisset, ac tineas pasceret, amicis quibusdam suadentibus, nunc tandem edita est. In qua, si mihi (Lector) impolitum hoc dicendi genus condonaueris, senties (ni fallor) in Hosij calumnijs diluendis, plus nudam & simplicem veritatis orationem ponderis habituram, quàm vt inani optimorum verborum ostentatione, tãto splendori vlla maleuolentia obscuritas indui atq; obduci posset. Vale.*

## Loci ab ipso Authore emendati.

¶ Prior numerus paginam, posterior lineam, denotat.

7.25. inscitiam. 10.19. conferantur. 12.27. pseudocatholicos. 15.20. excuti patitur. 23.27. fami. 26.28. deferunt authoritati. 29.15. Seraphecus. 29.4. Quenquam. 31.25. conuitijs. 33.19. Schismaticorum. 41.26. aperuit. 52.1. abfit ecclesia. 52.3. illa. 52.4. Quæ. 61.18. in agni. 71.27 obseruationem. 71.31. lis. 71.33. tolerarentur. 72.13. Gehennensi. 75.3. sunt. 76.27. cum apud. 82.18. læsum. 85.22. nos contra. 86.29. cum in hoc. 87.5. aliquando. 66.21. omnia. 97.13. effectuum. 99.15. solam charitatis. 100.27. secus ac. 102.13. virtutum. 103.30. contentionum. 106.16. at. 109.6. turri.

# AD EPISTOlam Staniſlai Hoſij, Varmienſis Epiſcopi, de expreſſo Dei verbo, reſponſio GVLIELMI FVLCONIS Angli.

CVM incidiſſem in libellum Staniſlai Hoſij, de expreſſo Dei verbo, ante decem annos æditum, vix potui temperare mihi, quin aliquot paginas, ad vaniſsimam illius impudentiam redarguendam ſcriberem. Quod licet à pluribus ijſq; doctiſsimis viris (quorum tamen labores mihi vidiſſe non contigit,) & doctius & elegantius iampridem factitatum eſſe confidam, volui nihilominus & ego, zelo meo indulgere, ac veritatis gladio ante confoſſũ atq; proſtratum, meo etiam telo qualicunq;, tranſuerberare. Sed qua parte hominem aggrediar potiſsimũ? Itane decuit Epiſcopum (quem ſe eſſe iactitat) ad regem vel ſapientem, vel ſapientum conſilio ſuffultum, tam putidas nugas, tam inanes fucos deſtinare? atque ijs tam friuolis ac leuibus ratiunculis, à ſanctiſsimo ac ſapientiſsimo reſtaurandæ

religionis propoſito deterritum fore ſperare? Hoc eſt nimirum *Staniſlae tibi ſoli arrogare ſapientiam, & cæteros omnes, ſtupidos, bardos, truncos eſſe putare*, cum apud regem potentiſsimũ, de rebus maximi momenti agere inſtitueris, nihil tamen adferre, præter inanem verborum oſtentationem, præter maledicta ex triuio arrepta, præter truncatas quorundam ac miſerè detortas ſententiolas, ſolidæ ratiónis ne pilum quidem producere. *Sed expreſſum* (inquis) *Dei verbum ſingulæ ſectæ ad ſe rapiunt, licet diuerſiſſimæ, tantoq́, (vt ais) faſtu ſingulæ tument, vt alios omnes etiam Catholicos ab eius poſſeſſione excludere conentur.* Quos inter omnes, tu tanquam arbiter honorabilis, medius ſtare vis, vt omnes ad humilitatem eſtudias, ōnibus genuinum ſcripturæ ſenſum aperias. Itaque ex ſublimi Epiſcopatus tui cathedra, illud Pſalmiſtæ nobis detonas: *In conuallibus non in montibus emittit gratiæ ſuæ fontes Deus*. ô præclaram concionem, & rubro Cardinalatus galero remunerandam! Quaſi non ex pluribus ac pene infinitis ſcripturæ teſtimonijs, veram animi humilitatem commendari nobis conſtaret, niſi prophetæ verba à natiuo ſenſu, ad ſententiam tuam tam violenter traheres, quaſi illic prophetæ propoſitum eſſet animi ſubmiſsionem docere, ac non potius miſericordiam Dei, quæ in mundi tum creatione, tum cōſeruatione mirabiliter conſpicitur, ob fontium amniumqué commodiſsimum vſum, dignis laudibus celebrare. Quin & de tuo addis, *Negari montibus diuinæ gratię fontes*, quaſi nuſquam legeris, mōtes etiam à Deo cælitus irrigari, & rorem Hermon ſuper montes Sion defluentē non agnoſceres. In ipſo ſane limine & quaſi veſtibulo libelli tui,

ſpeci-

ſpecimen præclarum edidiſti: quale tandem à te, de expreſſo Dei verbo, eiuſqué genuina interpretatione iudicium expectare debeamus, cum vbi nulla plenioris ſententiæ inopia premeris (nec enim vllus ſcripturæ locus fertilior,) vim adferas prophetæ verbis tam manifeſtam. Quid faceres, vbi te neceſsitas ad excogitandum aliquid impulerit? cum perplurima veſtræ hereſios dogmata cõfirmanda veniunt, de quibus nihil vſquam in ſcripturis ſpiritus ſanctus prodidit, immo pleriſqué apertè reclamat, Sed videamus reliqua. *Pſeudoprophetę veris prophetis olim, ac nunc hęretici orthodoxis obſtrepunt, verbum Domini obtendunt, de expreſſo Dei verbo gloriantur, &c.* Paucis hæc dici potuerunt, præſertim apud Regem, ſed quid tum poſtea? an ideo prophetæ à certiſsimo Domini verbo, ad friuolas maiorum conſtitutiones confugerunt? an tu author eris Staniſlae orthodoxis, vt quia de ſcriptura gloriantur hæretici, idcirco eam relinquãt catholici? nimis diluta ſunt hæc, indigna profecto homine cordato, nedum Epiſcopo. Sed id demum cuius oris eſt? quod pag. 4. *Nihil aliud à vobis agi* (contendis) *quàm olim à prophetis Eſaia, Ieremia, Ezechiele, &c.* Hoc planè eſt cornicum oculos configere. Quid ais Hoſi? nihil aliud agitis quàm quod prophetæ? quis igitur imaginum cultum docet? operum fiduciam prædicat? ceremoniarum neceſsitatem vrget? indulgentias Papales & Epiſcopales venditat ac vendit? quis reliqua eiuſdem farinæ dogmata exponit? nonne ex veſtris ſunt? num hæc prophetæ? & non hijs potius ex diametro pugnantia docuerunt? Quale vero illud? quod qui nihil aliud quàm quæ Eſaias & Ioel annun-

clauerunt, prædicas, *Peccatorum remissionem sine vlla pœnitentiam agentibus polliceri non audes*. Certè Esaias clamat, Si fuerint peccata vestra vt coccinum, tanquam lana candidissima abluentur. Et Ioel ipse, quem tu citas, eodem etiam capite, omnia læta hijs, qui verè ad Dominum conuersi fuerint, audet ꝓmittere. Ne timeas ô terra, &c. Sed tuę expositioni fauet Hieronymus. Profecto vel dabis mihi Hieronymum cum doctrina prophetica consentientem, aut veniam mihi dabit Hieronymus, si ab illo dissentiam. Quanq̃ si hîc commodè, ac iuxta prophetæ mentem eum interpretemur, nihil est quod de illius subsidio gloriari possis. Ignoscit Deus peccatis hominum, quotiescunqué resipiscentia moti, ad illius misericordiam confugiunt: iuxta illud Ezechielis, In quacunquè hora ingemuerit peccator, &c. nec tamen semper pœnas tẽporales remittit, quæ sunt paternæ potius castigationes, ad erudiendum in posterum filios suos, quàm supplicia sceleribus debita. Quod tu etiam Hosi, licet in alium prorsus finem, cum de purgatorij pœnis tibi disserendum esset, Dauidis trito apud vos exemplo confirmare potuisses, ad quem etiam sensum, aliorum verba quæ repetis, non absurdè referri possunt. Nisi quod Albertus, quamlibet tuo iudicio magnus, paruum tuæ causæ adiumentum confert. Nam is certum esse asserit, quòd contrito ignoscat Deus. Sed ideo quasi dubitanter locutum prophetam exponit, quia veram, non simulatam populi conuersionem exoptaret. Quod ex Daniele crebrò adferre soletis, quoniam non ipsius prophetæ verbis, qui Chaldaicè scripsit, sed corruptissima versione latina nititur, facile est ex-

cipere

cipere, Danielem non de redimendis aliquo eleemosynarum prætio peccatis agere, sed de abrumpenda scelerum consuetudine, & vera ad Deum conuersione apud Regem concionari. Aduerbium vero dubitandi (forsitan) in eius verbis non reperitur, quin potius certissimam erroribus illius sanandis medicinam ostendit. *Sed Niniuitarum rex, cùm vrbi suæ excidium timeret, ad pœnitentiam promulgato & edicto ciues hortatur, incertus tamen an parceret ciuitati Deus.* Mirum ni ideò de nostræ salutis in Christo fundatæ certitudine dubitandum nobis esset, quam tot promissis Deus sanciuit, quia Niniuitæ, cùm de vrbe sua excindenda oraculum accepissent, de seruanda nihil audissent, non simulata tamen pœnitentia ad vtramqué fortunam subeundam parati essent. Quin & Petrus, cum signis quibusdam non obscuris Simonis Magi interiorẽ hypochrisin deprehenderet, nec satis sciret an esset ex reproborũ numero, quos Deus reiecit, hominẽ tamen ad pœnitentiam hortatur, quod erat illius officium, nescius interim quid de illius interitu statuisset Dominus. *Non quòd noxiam esse securitatem sentiret, hominem suis viribus omnino diffisum, in Dei misericordia iuxta promissiones eius acquiescere,* quã doctrinam & Petrus ipse, & cœteri omnes vbiq; profitentur Apostoli: sed quòd non certo illi constaret, esset ne Magus ille ex eorum genere, quibus verè pœnitentiam agere cum fiducia diuinæ clementiæ concessum esset, an potius inter eos, qui semel illuminati, postea prolabuntur adnumerãdus. Desine igitur propheticam aut apostolicam doctrinam, cum putido vestro dogmate, de trepidatione illa vestra confundere. Nos enim cum

prophetis & apoſtolis, de proprijs viribus ac meritis, quemlibet non dubitare ac timere, ſed prorſus deſperare docemus, & omnem ſalutis recuperandæ fiduciam, in ſola Dei clementia reponere. Nec vllam noſtram fingimus gratiam, ſicut tu figmentum cerebri veſtri nuſq̃ in ſacris eloquiis fundatum: ſed gratiam illam gratuitam, qua nos Deus gratis in filios ſuos adoptare dignatur, cum prophetis ac apoſtolis libenter agnoſcimus, ac cupidé amplectimur. Mitte igitur conuicia & clamores. Nemo noſtrum vt pſeudoprophetæ Ananias & Semeias, ad vetitam & pernicioſam ſecuritatem hortatur. Nemo docet, *Qualiacunq́, ſint opera noſtra, certos nos eſſe ſalutis noſtræ.* Mendacium hoc eſt à ſatana mendaciorum patre excogitatum, ad Euangelij lucem obſcurandam, ſed non valebit niſi in hijs qui pereunt, quorum oculos mentis Deus ille ſæculi huius ſic perſtringit, vt ad clariſſimum veritatis lumen cęcutiant. Nullus vnquam ex noſtris, mortuam & euanidam illam fidem, quæ caret operibus bonis, valere ad iuſtificandum hominem docuit, ſed veram illam & viuam, quæ operatur per dilectionem ſolam ad peccatorum remiſsionem ſuſcipiendam, (quæ eſt iuſtificatio noſtra) conducere omnes vno ore confitemur. *Nec reſpici à Deo fidelium opera quiſquam piorum negat*, cum ampliſsimis præmijs, non pro meritis ipſorum, (cum ſint imperfecta) ſed pro ipſius infinita miſericordia, qua boni ea conſulere dignatur, à Domino remuneranda eſſe ſæpè doceamus: licet in rationem non veniant apud Deum in iuſtificationis opere, in quo Deus, vtpote qui impium iuſtificat, nihil niſi ſuam bonitatem, & iuſtificati fidem, reſpicere

ſpicere poteſt. Quid enim aliud reſpiceret? num impij opera? nam ex impijs (atteſtante Paulo) facit iuſtos. Annon potius hoc impium eſt aſſerere? quod Dei gratiam & miſericordiam tam fædè obſcurat, nec magis impium quàm abſurdum, quod impij hominis opera, quæ impia eſſe neceſſe eſt, nec ſine fide placere poſſũt, ille, cui impietas odio eſt, reſpicere debeat, & propter impietatem impietati ignoſcere. Talia monſtra & portenta parere ſolet veſtra de operũ iuſtitia iniquiſsima ſententia. Sed videamus ſanè, quæ tam *Aperta ſcripturæ verba doceãt, Deum reſpicere opera noſtra in negotio iuſtificationis. Ionas de placato Niniuitis Deo, ſic loquitur. Vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt.* ô ſubtilem dialecticum, ſed craſſum theologum! Minatus eſt Deus Niniuitis interitum, niſi pœnitentiam agerent: perſpecta ex operibus eorum conuerſione, reuocauit decretum de excindenda vrbe. Ergo ad vnam omnes Niniuitæ iuſtitiam, quæ eſt in Chriſto, & ſalutem æternam adepti ſunt? Bone Deus, quales ſunt in Papatu inferioris conditionis presbyteri, cùm ſummus eorum anteſignanus Hoſius, Epiſcopus, Cardinalis, qui ferè ſolus Lutheranis opponere ſe audet, tam craſſam & nimis pudendam iuſtitiam prodit, quaſi illic de vera illa & ſalutari pœnitentia, quæ ex fide ín mediatorem naſcitur, & eſt vera ad Deum conuerſio, propheta diſſerat: an non potius de tẽporaria animi pœnitudine, quę ex ſolo metu impendentium malorũ oritur, (qualis etiã impio Achabo Eliæ minis perterrito ſemel accidit,) manifeſtè intelligẽdus ſit. Sed alius ille qui ſequitur propheta, rem magis dilucidè exponit. Vide (in-

quit) humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Nimirum hîc acta res est, aut nunquam agenda manebit. Sed licet ne hærere de Episcopo Varmiensi & Ecclesiæ Romanæ Cardinali, vtrum Hebraicas litteras sciat, an potius ignoret? Si nesciat, errat simpliciùs: si sciat, mentitur impudentiùs: satis cum periculo vtrumuis. Sed ad rem ipsam. Num nõ hic ille est Dauid, qui alibi Deum ne cum seruo suo in iudicium intret humiliter deprecatur? cum in illius conspectu nulla caro instificari possit? Idem prorsus. Vnde igitur tantam dignitatis suæ fiduciam concepit, vt propter humilitatis & laborum suorum merita, peccata sibi remitti postulet? Immo nihil minus agit. Quin potius, si eum suo idiomate, aut saltem per fidum aliquem interpretem loquẽtem audias, diuersam planè & sentit & loquitur. Supplex enim Deum rogat, vt calamitatem & labores quibus premitur, respicere dignatus, omniũ malorum causam, quibus mortales miseri affliguntur, id est peccata, benignè auferat. Quo etiam refertur & illud Psalmistæ, quod Hosius sic vertit. *Vide humilitatem meam, &c.* Cum veriùs & significantiùs, iuxta prophetæ verba pariter ac mentem, calamitatem, afflictionem, miseriam, aut tale aliquid diceret. *Sed interim legis diuinæ recordationem, & præceptorum eius dilectionem obtendit, & idcirco se eripi ac viuificari postulat.* Sed hoc vnum expedi nobis bone interpres, sunt ne hæc verba hominis instificati, an per hęc merita, quæ hîc commemorantur, iustificandi. Si multo antequam hæc scriberet, gratuita Dei misericordia iustitiam consequutus est Dauid, (vt alia omittam) nihil hæc aut vlla eius

ius generis ad negotium iustificationis pertinent. Poteras tu etiam Hosi, si legisses, aut saltem in mẽtem tibi venissent, plures alios ex Dauide locos protulisse, qui causam tuam magis in speciẽ cõfirmare videntur. Vt cum rogat iuxta innocentiã suam à Deo se respici, & iudicari, &c. quæ tamen ad gratuitam iustificationẽ nihil faciant, sed tantummodo causæ suæ integritatem, non erga Deum, sed contra malitiosos aduersarios commendant. Quæ adijcis Hilarij & Ambrosij testimonia, licet non admodum pro te faciant, si rectè intelligãtur, minus tamen nos mouent, quia hominum sunt placita, non Dei decreta, & ipsi gratuitam iustificationem per solam fidem, nec rarò, nec obscurè agnouerunt, vt Hilarius de trinitate lib. 2. de Synodis Can. b. in Matthæum Can. 21. Ambrosius verò ad virgines exhortatione, ad Vercillenses Epist. 82. de Abraham Patriarcha. lib. 2. cap. 10. in Lucam lib. 2. cap. 2. In Epist. ad Romanos. cap. 1. 2. 3. 4. 9. 10. 11. In Epist. ad Cori. cap. 1. & in 2 Cor. cap. 3. in Epist. ad Gala. cap. 3. & 5. I nunc igitur Stanislai, & eos si libet *Pseudoprophetas, & Pseudoeuangelistas* appella, quia solam fidẽ, sine operum respectu, ad iustificationem cõducere docent. Nos sane, quantumuis tu & tui similes diaboli & antichristi mancipia calũnientur, nunquam pudebit confiteri, Quòd gratis propter Christũ peccata nobis sunt remissa, quòd Deo accepti simus, & vitę æternæ hæredes, quãdoquidẽ õnes nostra iustitia & sanctitas absq; Christo, merũ est peccatũ, & nos ęternę damnationi obnoxios redderet. In Christo autẽ renati, licet præstare possemus, quæcunq; à nobis exigũtur, seruos tamẽ inutiles nos ipsos agnoscere debemus. Neq;

ex operibus noſtris, quæ imperfecta ſunt, & habent aliquid corruptionis noſtræ admixtum, mercedē debitam expectamus, niſi ex infinita illius miſericordia, qui ea in Chriſto placatus acceptare dignatur. Quæ verò tu tanquam noſtrorum voces exagitas, aut ad hanc doctrinæ normam intellectas pro noſtris agnoſcimus, aut ſi ab hoc ſenſu torqueantur, Hoſij ſunt calumnię, non noſtrorum ſentētiæ. Nulli enim ſolidiùs, grauiùs, copioſiùs, de vitæ ſanctitate, quæ à Chriſti ſeruis requiritur vnquam diſſeruerunt, nulli morum innocentiam ſeueriùs exigunt, nulli diuinarum legum tranſgreſſionē acriùs inſectantur, deteſtantur, puniūt, quàm qui gratuitam hanc in Chriſto iuſtificationem tuentur, exoſculantur, amplectuntur. Exemplo & argumento ſunt reſpublicæ, per Germaniā, Galliam, Angliam, & alias regiones, vbi vera hæc Euangelij doctrina obtinet, & cum Romanæ vrbis licentia conſeruantur, & ſi libet in certamen committantur. Quo magis odioſa eſt Hoſij impudentia, qui nos tanquam omnium ſcelerum magiſtros, authores, impulſores traducit: ac ſi mortuam ac non veram fidem, quæ ex operibus agnoſcitur, vllus inter nos prædicaret, aut ſoli Papiſtæ vitia damnarent, ad virtutem exhortarentur. Sed quod propiùs accedit ad titulum libri, *De expreſſo Dei verbo gloriamur vtriq;*: verum quod ſolos pſeudocatholicas ſcripturas quaſdam, quas citas proferre dicis, id nulla ratione ferendum. Nam & pœnitentiam, & *Matth. 3.* fructus pœnitentia dignos, & patientiam, & mortificationem, nos etiam ex ijſdem & varijs prēterea *Luc. 13.* ſcripturæ locis, Chriſtiano homini neceſſaria eſſe, & tamen nihil minus quàm gratuitam noſtram

iuſti-

iuſtificationem euertere docemus. Ex eo etiã quod Chriſtus poſcenti ſcribæ reſpondit, (*Si vis in vitam ingredi ſerua mandata,*) fatemur, præſcribi in lege abſolutam iuſtitiæ regulam, quam ſi quis perfectè adimplere poſsit, ille ex pacto etiam abſquè Chriſti merito iuſtus erit. Verùm ſi in aliquo deliquerit, maledictioni obnoxius efficitur, iuxta illud, Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro hoc. Quia & beatos eſſe agnoſcimus nõ qui ſciant modo, ſed qui præſtiterint quæ Chriſtꝰ præcipit. Porro ſecundũ opera noſtra, mercedẽ ſortiemur õnes, nam ex fructibꝰ arborẽ dignoſci oportet, quantumuis nõ propter operum meritum, æternam vitam conſequemur. Quin & iudicij diuini ſeueritatem intonamus in eos, qui per hypochriſin gloriantur ſe Chriſti diſcipulos, cùm vita eorum nihil Chriſto dignum exprimat. Quod adiungis ex Eccleſiaſtico, nec verba, nec ſenſum retinet authoris, ſi græcum potius quam latinum conſulere voluiſſes. Et ſi non multum moramur teſtimonium filij Syrach, quem inter claſſicos & legitimos verbi diuini ſcriptores Eccleſia non recipit, ſed inter apocryphos numerat. De operum mercede ſatis ante diximus, & fatemur cum Auguſtino, Deum coronare in nobis ſua dona, non opera noſtra mercedem igitur quia promiſit, nõ quia debetur gratuitam perſoluit. Et qui bona fecerunt, æternæ vitæ participes erunt, ſed Deo prius accepti ſunt, & coram ipſo iuſti, priuſquàm boni quicquam fecerint. Arborem enim bonam priùs exiſtere, quàm fructum bonum producere neceſſe eſt. Quod citas ex Eccleſiaſte, Solomonis non eſt, ſed interpretis, indocti ne magis dicam

*Matth.19.*

*Ioan.13.*

*Rom.2.*

*2.Cor.5.*

*Eccle.16.*

*Apo.22.*

*Ioan.5.*

*Eccle.9.*

eam an audacis. Sed finge esse Solomonis, quis tam cæcus est, qui non videat quid spiritus sanctus eo loco doceat? nempe, ex successibus aut infortuniis, non posse certo statui, quem diligat Deus, quem detestetur, quanquam ad eligendum incertitudinem verba potius referre videantur. Quia in tanta rerum confusione, dubium sit homini, (nisi intus spiritus sancti magisterio admoneatur,) in rebus externis quid sequatur aut fugiat potissimum.

*Psal. 16.* *Pro. 20.* *Iob. 9.* Quæ autem adnectis ex Dauide, Solomone, Iobo, adeo nihil contra fidei iustificationem faciunt, vt certa potius ex illis ad operum iustitiam euertendam testimonia peti possint. Quia enim infinita sint nostra delicta, & nobis etiam sæpe incognita, quia nullius cor mundum, nec quisquam à peccato purus, quia imperfecta sint etiam piorum opera, & pœnam iniquitatis, potius quàm mercedem pietatis mereantur: idcirco neminem posse ex operibus iustitiam consequi concludimus: immo, nihil conducere ad iustificandum hominẽ probamus, quia infinita peccatorum mole præponderantur, quia ex immundo corde proficiscantur, quia demum talia sunt, vt supplicium potius illis extimescendum, quàm præmium expectandum, nisi Dominus etiam in bonis operibus delinquentibus, pro sua benignitate parceret.

*1. Cor. 4.* Quod verò Paulus de integritate sua in munere apostolico obeundo profert, inscitè torques ad istã controuersiam, licèt nõ videam quid tibi suffragari possit, si ad sensum tuum hæc dixisset. Si enim, qui nullius peccati sibi conscius est, per hanc innocentiam iustificari non possit, vbi sunt operum merita? *Sed vetat Ecclesiasticus nos esse securos de peccato propitiato.* Quis nescit

*Eccle. 5.*

de

de qua propitiatione loquatur? Nimirum legali illa & vmbratili, pro more veterum prophetarum. Nam si de propitiatis per Christi sacrificium peccatis eadem diceret, exploderetur merito ab omnibus Christianis. Porrò, de misericordia & iustitia Dei, quid statuendum sit, sæpissimè in memoriam hominum reuocamus, & vtriusqué ex sacro illius verbo vim & effectum docemus. Deinde, cum Paulo modestiam & humilitatem exigimus, adhortantes quoscunqué vt eum timore & tremore, non cum fastu & superbia, suam ipsorum salutem operentur, sic tamen, vt quod proximo versu apud Paulum sequitur, non omittamus exponere, Deum esse qui operetur in nobis & velle & perficere, pro beneplacito suo. Postremò, timorem Dei quod est præcipuum sapientiæ caput, nunquã excutere hominem permittimus, nec tamen in fide vacillare finimus. Nostra enim iustificatio, non ex nobis, sed ex Dei veritate pendet. Itaqué, qui de ipsa incertos & dubios esse volunt, non humilitatem, vt præseferunt, sed incredulitatem nobis suadent. Quemadmodum qui fidei certitudinem docent, non securitatem, aut superbiam, sed Dei veritatem commendant. Quum enim Deus salutem credentibus promittat, quomodo non certus de salute sua fiet, qui credit, ac Deum veracem esse agnoscit? Quisquis igitur hanc fiduciam vocat in controuersiam, vnicum religionis fundamentum subuertit, nempe veritatem Dei: & fidem prorsus extinguit, quicunqué quærit, An fideles de salute sua certò sibi persuadere debeant? hoc est, An Deus possit mentiri, aut plus pollicitus sit, quàm præstare valeat? Apage itaqué tales blasphemias, cum suis authoribus,

Pro. 28.

Phil. 2.

Ezec. 14.

bus. Sed argutè sibi videtur Hosius disseruisse cõtra Lutheranos, *Cùm non solum fidem exigi ab hominibus concludit, sed opera etiam bona à Deo esse præparata in quibus ambulare debeant fideles*. Quasi vero quispiam omnino è nostris, mortuam illam & euanidam fidem (de qua Diuus Iacobus) ad salutẽ sufficere doceat, ac non potius viuam illam & per dilectionem operantem, nec vnquam suis fructibus vacuam, solam tamen ad peccatorum veniam suscipiendam, quæ est iustificatio nostra, valere clamitet. Sed inprimis admirandum est acumen huius Episcopi, quod ex ijsdem verbis seruatoris, quibus operum fiduciam damnat, fidei certitudinem eneruare nititur. *Quùm feceritis* (inquit) *quæcunq́, vobis præscripta sunt, dicite, Serui inutiles sumus.* Luc. 17. Alia sanè omnia vtcunqué torsisses, hoc vnum tacuisses, quod ne pueris quidem obscurum est, humanis meritis omnem dignitatem abrogare, fidei vero constantiã nullo modo attingere. Sed habent nostri etiã scripturas, (vt benigne fateris,) quarum authoritate cõtrariã vestrę sententiã tuentur. Deinde, sequitur catalogus scripturarum, ex Brentio, qua fide à te congestus, viderit Brentius ad quem præcipuè res spectat. Sed nũ recensere eas satis est, ad deponendã fiduciam, quam ex hijs colligimus? Annon ad nostram doctrinam scriptæ sunt? quid si tuis Varmiensibus, vel ille locus pro concione exponendus esset, qui citatur ex 8. ad Rom. Certus sum, quòd nequé mors, nequé vita, nequé angeli, nequé vlla creatura, poterit nos separare à charitate Dei. Quomodo te vel modestè saltem expedires, si fidei certitudinem ex hoc scripturæ testimonio stabiliendam, inficiari velles? respondes, *Ci-*

*cius*

*tiùs è pumice lac sperandum, quàm ex hijs quod condemnes eliciendum.* ô effrænatam hominis audaciam! saltem quis alius ex hijs colligendus sit fructus, docuisses, ac non scripturæ saluberrimum cibum inaudita metamorphosi, in pumicem transmutasses. Immo, citius credemus te ex homine in lapidem conuersum, quàm non hijs testimonijs edocti, solidam in Deo salutis nostræ fiduciam esse collocandam. *At videmus iam, quàm non sit nouum hæreticis, de expresso Dei verbo gloriari.* Præclarè quidèm, quũ tu nobis facem præfers. Sed quid hinc conficis? an ideo hæretici sunt omnes, qui de expresso Dei verbo gloriantur? Si non sunt, quorsum id tam operosè probas, quod nec quisquam tibi neget, nec si omnes concedant, quicquam tuæ causæ profit? *Sed diabolus etiam scripturarum armis cum Christo congreditur.* Sanè prorsus, vt solent hæretici, sed non integris, sed mutilatis, & miserè detortis. Verum quid interim Christus? num scripturæ gladium proijcit, aut sibi patitur, quod eo aduersus ipsum abutitur diabolus? Num alio telo reuerberat ictus aduersarij in caput authoris? num alio ense hostem iugulat, quàm scripturæ? Christum igitur in expugnandis hæreticorum argutijs, si imitari velles, non alio telo simulatam hostilis mucronis aciem retunderes, quam verbi Dei gladio. Ambrosius verò, quem loquentem introducis, quid aliud narrat, quàm quod tibi pessimæ alioquin fidei homini narranti, sine teste crederemus: nimirum, Hæreticos vim adferre scripturis, easqué ad suum sensum sæpenumero vel inuitas trahere. Quod si nusquam alibi cerneremus, tute ipse non tarò in hoc libello, sacri eloquij sensum perfidè, ac inter-

*Lib. 4. in Luc.*

interdum etiam insulsè corrumpens, satis argumento fores. Sed Vincentij Lyrinensis digna tibi inprimis visa est sententia, qua totas paginas impleres, quanquam quid aliud loquitur, quàm quod fatemur omnes, hæreticos, quo magis fallant, ad instar patris ipsorum diaboli, scripturarum authoritatem obtendere, qua sola tamen reuincãtur, & clamosa quamuis impiorum ora obstruantur? Sed quod tu tantopere admiraris in illius verbis, omnium leuissimum est, ac res minimi momenti. Quid enim minus solidum est, quàm in illa templi Hierosolomitana sublimitate, alludere ad Ecclesiam? Ac si Christus ipse, qui vnica basis est Ecclesiæ, absqué ea stare non possit. Plus habet hæc allusio in se subtilitatis, quàm ponderis, quæ tibi tamen supra modum placet. Sic enim soletis è veterum scriptis, non solidam auri argentiue aut gemmarum materiam, ad ædificationem sacri templi comparare: sed nescio quas ligniculorum, stipularumqué quisquilias congerere, easqué luto humanarum traditionũ, ad culinam papalem extruendam compingere. In illo Vincentij testimonio multa prætermittis, digna sane quæ obseruentur: illud vnum arripis, quod vnum nullius prætij est in verbis eius. Non enim vnquam periculum erit, *Ne Christus cadat ab Ecclesia*: sed ne Ecclesia à Christo (si recedat) præcipitetur, maximopere cauendum est. Non enim Christus ab Ecclesiæ authoritate pendet, sed ab illius vnico patrocinio Ecclesia. Sed vt tibi tuiqué similibus, putidas has allegoriarum delicias relinquam, pergis, & *Ecclesiam ciuitatem supra montem positam*, à Christo vocari astruis: vbi ô bone? Lego quidem Matth. quinto

Aposto-

Apostolis dictum : Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, non potest oppidum abscondi supra montem situm, quemadmodum nec lucerna accensa occultari : quibus verbis illis viuendum esse docet, ac si omnium oculis expositi, ab omnibus obseruetur eorum vita ; vt qui exemplo plus quam facto noceant, si ab officij sui legibus discedant. Tu verò ad Ecclesiam trahere vis, quod ad præsides tantum & pastores Ecclesiarum pertinet. Vultis enim Ecclesiam, quæ omnium oculis subiecta sit, perpetuo, & mundano splendore conspicua. Sit sanè antichristiana Ecclesia, famosa illa meretrix, non vnico colli Sioni, sed septem montibus nominatissimis insidens: sibi habeat pompam illam vniuersam, auri, argenti, gemmarum, quarum fulgore oculos hominum longè latequé perstringit. Nostra sit Hierusalem cœlestis, mater omnium fidelium, non carnis oculis, non humanis sensibus conspicua, sed in desertum pulsa, sed miseris modis ab æmulo sathanæ scorto accepta, sed omnium tamen ærumnarum ac persequutionum victrix in Christo Iesu capite & sponso eius amantissimo. Hæc est illa columna veritatis, cui spiritus ille veritatis verè promissus & exhibitus est, non alius ab eo, cuius instinctu sacræ literæ ab hominib⁹ diuinis traditę sunt, sed qui ab ipsis testimoniũ accipit, ex earum certissima regula, ab impuris & phanaticis ōnib⁹ errorũ spiritib⁹ discernitur atq; dignoscitur. Verùm vt te sequamur, quo trahis; *Non desunt Sathanæ scripturę, quibus persuadere conetur, vt à sublimi Ecclesię pinnaculo quis se demittat.* Scilicet. Quales verò scriptũ est (inquit,) In præcep-

tis patrum vestrorum nolite incedere. Sinè causa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. Eze. 20. Matth. 15. Quis igitur, te authore, aut si vis Ecclesia vestra, horum sensus? an vt à maiorum placitis nullo modo recedendum sit, vtcunque expresso Dei verbo repugnantibus? an vt liceat hominibus, neglecto vero ac spirituali Dei cultu, nouum ac superstitiosum ex sui cerebri commentis effingere, Deoque pro legitimo ac genuino seruitio obtrudere? Sed malè te habet, quòd Martinus Lutherus, *In despectum* (vt loqueris) *Ecclesiæ vestræ, contraria quæ præceperis fieri vidit omnia.* Censuit nimirum, quàm longissimè a Babylonici scorti consuetudinibus fugiendum esse, oraculo cælesti admonitus. Verum idem pias Ecclesiæ catholicæ & orthodoxæ sanctiones, verbo Dei consentientes, nunquam abijciendas, aut negligendas putauit. Sed facis pro more gentis vestræ, hoc est papistiæ, qui Lutherum fingis, sacrilegium illud vestrum extorti populo calicis dominici inter adiaphora numerare, nisi hoc forsitan censuit olim, cum ex papismi luto, nondum penitus emersisset. Similis est etiam calumnia, quam struis de Concilij contemptu. an quia Concilium Tridétinum, cui præsideret antichristus, interessent cum authoritate decernẽdi, non nisi iurati Christi hostes, & hæretici, cõculcauit, idcirco sacras Ecclesiæ synodos legitimè coactas aspernatur Lutherus? Interim plenis buccis illud vestrũ catholicũ crepas, & totius orbis Christiani consensũ iactitas, quasi aliquid sit apud vos verè catholicũ, aut christiani orbis consensu receptũ ac cõprobatũ. Has orationis

onis ampullas,& sesquipedalia verba, facilè cõtemnit, quisquis vestræ religionis nouitatem,& à sacris scripturis dissentionem satis compertam habeat. Tu tamen propositum vrges,homo in scripturis sacris pulchrè exercitatus, & quod veritas ipsa de diabolo testatur Ioh. 8. de homine quàmlibet cauto ac prudente dictum vis. *Cùm de suo loquitur, nihil aliud quàm mendacium loquitur.* Hoc vtcunquè tibi concedamus, certè alio quàm isto testimonio, ex tam infinitis scripturæ locis probari debuit, si tibi vel otium legendi, vel cura scribendi fuisset vero consentanea. Attamen veterem illam & rancidam tuam cantilenam, *Mitte te deorsum*, non desinis occinere, & ad fidei nostræ certitudinem concutiendam putidis calumnijs aptare non erubescis, quæ cum immutabili Dei veritati sit innixa, quis nescit, (nisi infirmitas nostra obstaret)debere esse certissimam, tantumquè diuinarum promissionũ veritati detrahi quantũ hæsitationi ac incertitudini indulgetur? Quod autem de bonorum operum neglectu ac flagitiosa vita inseritur, quàm longè absit tam à doctrina, quàm à moribus Christianorum pastorum, sciunt qui illius auditores, huius verò spectatores sunt assidui. Testantur satis & scripta Lutheri & Zuinglij, quos licet tibi Anabaptistis infestissimis eorum hostibus accensere libitum sit, bene tamen est, quod ab eis acerrimè dissidere tute ipse fateris. Quod verò de pugnãtib⁹ inter se Lutheranorum & Zuinglianorum dogmatib⁹ subiungis, dolendũ quidẽ homines pios in ista opinionum varietate à contẽtionibus non abstinere. Sed quid facias? Ita sunt homines. Sed

quæ sunt ista pugnantia dogmata, an pondere tam magna, aut numero tam infinita, vt vtriqué quamuis sententijs discrepent, non possint in vnico Christianæ fidei fundamento salutem consequi? Cornelius & Cyprianus, Romani & Carthaginenses, Africani & Europæi, an non in baptismi sacramento diuersa sentiebant? Vtriqué tamen Ecclesiæ catholicæ membra, præsides, ac lumina fuerunt. Tantusne est omnium in papismo consensus & conspiratio, vt non in varias sententias scindantur papistæ? Iamne tandem conuenit inter Theologos vestros, & canonistas, Concilium ne supra Papam, an Papa supra Concilium? Quid? annon hæc controuersia de rebus maximis suos fatigat athletas? Ecquid est in toto Papatu, Concilio ac Papa ipso augustius? de quorum vtriusqué potestate, nondum inter pseudocatholicos conuenit. I nunc & Lutheranorum & Zuinglij contentiones exagita. Quin potiùs (si potes) homo vnitatis studiosus, domesticas vestræ familiæ rixas compone, sic te libentiùs in nostris controuersijs arbitrum audiemus. *Hactenus per se Sathanas expresso Dei verbo Christum oppugnare conatus est, nunc verò idem per membra sua aggreditur, ipsumq; demonstrare vult, expresso Dei verbo, non modo non esse prophetam, sed etiam reum esse mortis.* Quid ex his ὦ διαιμόνιε? an effecit verè suis cauillis, vt Christus propheta non esset, aut vt verè reus mortis censeretur? An non igitur Christus ad scripturas prouocauit: quæ testimonium ferrent de ipso, Ioann. 5. quòd propheta ille esset, qui patribus promittebatur? Deut. 18. Act. 3. & 7. Nonne etiam illam calum-

niam

niam, qua eum mortis reum mentiebantur Iudęi, quòd se Dei filium diceret, potenter ex scripturis refellit? Ioan. 10. Ex quibus satis liquet, vtcunqué diabolus, vel per se, vel per sua membra detorquere scripturas ad impium sensum conabitur, non aliter aut verum sensum elicere, aut falsum dogma conuellere poterimus, quàm ex sacris ipsis scripturis. Quis autem nescit pseudoapostolos, Christum & eius Euangelium peruersis suis doctrinis prætexuisse? Apostoli verò Christi quibus armis eos adoriebantur, impugnabant, superabant? Credo sola Ecclesiæ authoritate iugulasse subdolos illos operarios, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et hîc sanè pugna erat facillima, victoria certissima. Cedo locum (Reuerende Cardinalis,) vbi neglecto expresso Dei verbo, ad nomen aç titulum Ecclesiæ confugiebant primi illi Ecclesiæ architecti? Sume tibi vtramuis ad Corinthos scriptam Epistolam, aut eam quæ ad Galatas missa est, aut etiam eam quæ est eiusdem argumenti ad Romanos. Sed debuit forsitan Paulus ipse à Romanis discere, Petri primatu in tantum honorem euectis, vt quod illa decerneret Ecclesia, ab omnibus in toto orbe Christianorum cœtibus, pro vero ac catholico suspiciendum fuit. Sed plurimum opinor causæ tuæ patrocinatur germanus Pauli interpres Ioannes Chrysostomus, dum *Pseudoapostolos Euangelij nomen prætexentes inducit, vt facilius (pariete perfosso) in domum irrumpant.* At qualem putas Christi interpretem: cum in cap. 16. Lucæ, omnes etiam laicos ad sacræ scripturæ lectionem tam diligenter hortatur? *Semper* (in-

quit) *hortor, & hortari non desinam, vt non hîc tantùm attendatis hijs quæ dicuntur: verumetiam cùm domi fueritis assiduè diuinarum scripturarum lectioni vacetis, &c. Magna aduersus peccatum munitio est scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrũ scripturarum ignoratio, magna salutis perditio nihil scire ex diuinis legibus, ea res & hæreses peperit, & viam corruptam inuexit, hoc sursum deorsum miscuit omnia.* Satin dextrè tibi videtur assecutus Chrysostomus mentem seruatoris nostri Christi, qui ex scripturarum ignoratione hæreses natas, & omnium flagitiorum licentiam propagatam asserit? Quid tum? Cornutus tuus diabolus, *Scripturarum diuinarum, verbi Dei, & Euangelij nomen prætendit, quo cornua celet, vt faciliùs incautos in suas nassas pertrahat.* Rectè. Decet igitur fideles tãto diligentiùs sacrarum scripturarum, verbi Dei, & Euangelij lectioni incumbere, vt tam versutis Satanę impostoris faciliùs occurrant, verum & genuinum Euangelium, ab adulterato & detorto agnoscant, vt se deniqué gladio spirituali, hoc est verbo Dei, aduersus omnes inimici μεθοδειας muniant. Ephe. 6.

*Quin & Paulus ad Thessalonicenses meminit fuisse quosdam, qui per Epistolam tanquam à se missam terrerent homines, cùm tamen à Paulo nihil tale scriptum fuerit. Hoc est* (vt tu intelligis) *alienum sensum verbis, quibus in priori Epistola vsus est, affingebant. Nos qui viuimus, &c. non præueniemus, &c.* Atqui nos longè aliud, nempe veterem fuisse quorundam nebulonum impudentiam, aliena nomina supponendi, quàm secuti sunt in Papatu, quàm plurimi, qui decretales Epistolas Lino, Clemen-

ti, Cleto, Euaristo, alijsqué primæuę Ecclesię luminibus affinxerunt. At longè impar sum, vt tanti Cardinalis interpretationi, meam sententiam opponerem. Prodeat igitur Hieronymus (si fabulas vestras accipimus) Ecclesiæ Romanæ presbyter, Cardinalis, & cum Hosio Cardinale de huius loci interpretatione litiget. *Poterant* (inquit) *& hæc diabolicâ excogitare versutiâ, sicut in multis apocryphis apparet, quę ad fidē perfidiæ faciendâ, Apostolorū nomine intitulantur.* Verum esto vt tu vis, quòd Pauli verba sec⁹ interpretati sint, quàm illius mens fuerit: & Petrus asserit quędā in eis difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depraūāt, sicut & cęteras scripturas. Hinc quid efficitur? ōnia esse obscura & incerta in scripturis? cū Chrysost. à te nuper laudatus, in eandē ad Thessalonicenses Epistolam scribat, Hom. 3. *Omnia clara sunt & plana ex scripturis diuinis, quæcunq́, necessaria sunt, manifesta sunt.* Sint igitur quędam in Epistolis Pauli difficilia, vel potius inter ea quæ de fine seculi vaticinatus est: legimus enim, ἐν οἷς, non ἐν ἄλλοις. tamen (si Chrysostomo fides) quę cunqué necessaria sunt, & manifesta sunt. Cui etiam astipulatur Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. cap. 6. *Magnificè igitur & salubriter spiritus sanctus ita scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus facilè occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur,* Et optimè sanè quadrat in Papistas, quod idem in Manichęos, Montanistas, & Priscillianistas cōtorquet. lib. de Agone Christiano. ca. 28. Tam

cęci sunt isti, vt scripturas manifestas non intelligant, aut tam negligentes salutis suę, vt omnino non legant. Sed Augustinus in libro de fide & operibus, &c. insectatur, qui neglecta vitæ innocentia, solam fidem sufficere putarent ad salutem. Et quis nostrum aliter sentit aut loquitur? Ecquis nostrum mortuam ac euanidam fidem, quæ à charitate disiuncta est, quicquam prodesse docet, nisi ad interitum? At idem Augustinus, & alibi sępè, & in eodem libro luculenter monstrat, sola hominem fide coram Deo iustificari sine operibus, quæ (vt eodem ipso capite, quod tu citas, scribit) sequuntur iustificatum, non præcedunt iustificandum. Quid obsecro significantiùs dici potuit, vt opera ab hominis iustificatione excluderet? Et quod ad illam calumniam attinet, de neglectis operibus bonis, morumqué emendatione contempta, satis diluit eam cap. 22. cùm ait, Rectè dici posse ad solam fidem pertinere Dei mandata, si non mortua, sed viua illa intelligatur fides, quæ per dilectionem operatur. Et cap 23. inseparabilem docet esse bonam vitam à fide, quæ per dilectionem operatur, immo vero ipsam esse bonam vitam. Nos, vt scis Stanislae, ne latum vnguem ab hac Augustini sententia discrepamus, vtcunqué tu magnis clamoribus, plaustra calumniarum ac mendaciorum in nos nostramqué doctrinam conuehis. Fatemur cum apostolo, hominem iustificari fide sine operibus legis, id tu nega si audes. Fatemur etiam cùm Augustino, eam fidem, qua sola iusti reputamur apud Deum, inseparabilem esse à bona vita, neq quenquam fidè iustificari,

ſtificari, qui non fidei fructus per bona opera produxerit. Vnde verò arripis illam calumniam? Euangelium pati non poſſe, vt prædicetur de bonis operibus. Dixerit forſitan aliquis, Euangelium pati non poſſe, vt operum iuſticia prędicetur, cùm iſtius doctrina fidei iuſtitiam annunciat. Et meritò ſanè horret ouicula Chriſti, vbi iuſtitiam ex operibus prædicari audit. Et fides ipſa, qua iuſti cenſemur coram Deo, quantumuis non magis ab operibus diſiungi poteſt, q̃ à calore ignis, nullã tamen opus patitur intercedere, ad hominem iuſtificandum. Nihil tamen impedit, quin & ouicula Chriſti, vitę ſanctimoniam ſibi imperari libentiſsimè audiat, & fides omnium bonorum operum viua radix, fructus proferat Chriſto eiuſqué Euangelio dignos. Si ad te Varmienſem pontificem eadem Paulinus, quæ ad Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum, ſcripſiſſet, miror quibus figuris *Eius peſtilentiſſimas voces* exagitaſſes. Sic enim ille ſcribit Epi. 58 *Quid his ad ſaluatem, quę ſola fide quęritur, prodeſt in legis memoria & meditatione verſari? &c.* Sed ne ipſe Paulus ſæpè dubitat legem cum Euangelio cõmittere, gratiam operibus opponere. Nequé tamen ignorauit (opinor) Paulinus, multo minus Paulus, quis eſſet legitimus legis vſus, & quæ eſſet bonorũ operum merces apud Deum. Apagè igitur futiles calumnias. *Qui bonis operibus cooperti ſunt, vix cælum poſſent penetrare, quòd ea iuſtificationem etiam conſequentia ſunt impura, cùm opus optimè factum ſit peccatum. Peſtilentes eſſe magiſtros, & radicem germinantem fel, qui in nouo teſtamento conſcientias operibus vexant, nec eſſe ſimul in Eccleſia fi-*

dei magistrum & operum. Cuius oro sunt hæ voces nisi tuæ ipsius ? Nos enim quanto studio bona opera, quæ ex fide manant, commendemus, & ad ea facienda fideles excitemꝰ, testis est Deus iudex conscientiæ nostrę, testis etiã Ecclesia eius, quotidianis exhortationibus ad vitæ sanctimoniam informata, etiamsi opera nostra quamlibet bona, imperfecta esse agnoscamus, nec laqueum conscientijs inijci patiamur, ab his, qui legis & operum iustitiam peruersè astruunt. Sed de istis silendum in præsentia, iam enim in theatrum producitur vetustissimus scriptor Tertullianus. Is negat prouocandum esse ad scripturas, nec in ijs constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa, contra hæreticos. At quales hæreticos designat? annon Marcionistas? & istos quare? annon ipse rationem reddit his verbis, quę miror aut te legere noluisse, aut non animaduertisse, quàm parum tibi suffragatur Tertullianus. *Ista hæresis* (inquit) *non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit, & si recipit non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit.* Quis non videt aduersus huiusmodi hæreticos, frustra pugnari ex scripturis, quemadmodum aduersus ethnicos, qui nihil differunt authoritate diuinarum scripturarum? Eodem spectat Clementis Alexandrini testimonium. At ipse Tertullianus, quàm fortiter pugnat, ex sacrarum litterarum authoritate, aduersus alias hæreses, quæ earum authoritatem non ausæ erant contemnere? Cæterùm,

cerum, quod à Tertulliano scribitur: Ista hæresis quasdam scripturas non recipit, & quæ sequuntur, de Lutheranis censuit scilicet hęreticis. Docuit enim Lutherus, fidem solã, & ad iustitiam, & ad salutem sufficere, quod cum canonica Iacobi Epistola consistere non posset, eam accepta machæra libro suo præcidit. Respondeat Luther⁹ pro se. Nos eam pari honore cum reliquis scripturis admittimus, & fidei iustitiæ nihil aduersari, quin plurimum conferre lucis & authoritatis censemus. Verùm, quia Lutherum subsannas, ꝙ eam in suis biblijs habere noluerit, obsecro te, an solus Lutherus de eius epistolæ authoritate dubitauit? an primus eam inter adulterinas scripturas numerauit? Quem locum tribues Eusebio inter hæreticos? is enim aperté adulterinam esse scribit. Quo ęquior esse debes Luthero, si tanti scriptoris iudicium sequutus, eam aut reijceret, re non dum satis expensa, aut de ipsa hæsitauerit. Sed admodum facetus es, si quidem ioco: aut sanè nimium insulsus, si quidem serio scribis, Luthero, biblia sua dici, vt indicet, nihil sibi commune esse cum ijs, quæ sunt Ecclesiæ catholicæ. Miror profecto si tibi tanto præsuli aliquando vacat, bibliorum codicem à ministro noscere, an horreas biblia tua dicere, quę sunt Ecclesiæ catholicæ communia. Puto etiam cùm tuam diœcesim Varmiensem nominas, te indicare eam nihil habere cõmune cum Ecclesia catholica. *Quin & orationes & sacrificia pro defunctis docuit esse superuacanea, quam ob causam nec Machabæorum librum ferre potuerit, & absoluta necessitate fieri omnia: hinc & sapien-*

*tia*

*ne libri cum Ecclesiastico præcidis.* Itane tu Staniſlae hos libros tot patrum orthodoxorum ac Conciliorum ſententijs è canone excluſos, tua authoritate reſtitues? Nihil Auguſtinus, nihil Hieronymus, nihil Carthaginenſe Cõcilium apud te ponderis habebunt? Sed mitto illa. Vbi demum ſtatuit Lutherus omnia abſoluta neceſsitate fieri? Caue fingas quicquam. Non decet Epiſcopum teſtimonium falſum dicere. Aut quomodo ſcripturas quas recipiebat, *Ex bonis Latinis mala fecit Germanica*? An quia malè vertit biblia in Germanicam linguam? an quia perperàm expoſuit eorum ſenſum? Si malè vertit, cur non vos melius? & ex bonis, quando ita vultis, Latinis biblijs, optima facitis Germanica? Sed non vacat, non licet, non libet. *Sed expoſitiones commentatus eſt diuerſas, aduerſas, contrarias.* Quas tandem? an accuſaſſe ſatis eſt? Perge verò. *Cæteri etiam hæretici non minùs inter ſe diuerſi, quàm Catholicis aduerſi ſunt, in ſcripturis interpretandis.* Qui ſunt iſti hæretici? fortaſſe Zuinglium intelligit, aut Caluinum, alioſqué id genus ſcriptores. Oportet igitur papiſtas, omnes ſimiles, immo eaſdem omnino conſentientes ac conſpirantes inter ſe ſcripturę interpretationes cudere. Numqué Albertus à Thoma, aut Scotus ab vtroqué diſſidet, in expoſitione alicuius loci? Eccius & Pighius, Hoſius & Oſorius, in ſcripturis interpretandis quaſi quatuor Euangeliſtę ſemper conſpirant? Quodſi alicubi eſt diſsidium, cur non in vos retorquere licet, quę tute modo in Lutherum & alios contorques? Cum talibus Tertullianus de ſcripturis prohibet diſputare, ſed eos ad Eccle-

ſiaſticam

ſiaſticam traditionē remitti iubet. Quam ſententiā Lutherus etiam ipſe, quando cum ſacramētarijs & Anabaptiſtis ei res eſt, approbare videtur: nec puto quicquā ſanę mentis improbare, cum ei res eſt cùm talibus hęreticis, qui ſcripturę authoritate teneri nolunt. At quos tu vocas ſacramentarios? ſcripturę authoritatem ſemper habuerunt, & habituri ſunt ſacroſanctam, cuius iudicio ſi reuincantur, non recuſant inter hęreticos cenſeri. Alia eſt Anabaptiſtarum ratio, qui etſi libros ſcripturæ palam non reijciunt, tamen fanatico ſpiritu inflati, omnem eis authoritatem & certitudinem ſuis allegorijs detrahunt. *Sed ferre non potes, quod doctor ille hyperbolicus*, tute doctor Seraphius, irrefragabilis, & illuminatus, *Arrium narret in Concilio Nicæno inauditum, & indicta cauſa damnatum*, (quanquam nequé hoc dicat Lutherus,) verū longè repetita oratione oſtēdis, *ſatis diligenter excuſſam fuiſſe illius doctrinam, antequam condemnaretur.* Quaſi plurimum intereſſet, Regē Polonię Sigiſmundum ſcire, Arrium indicta cauſa non fuiſſe condemnatum. Sed illius tuę diſputationis ſatis verboſę huc ſumma redit deniqué, *Quod laudanda ſit hæc Lutheri ſententia, modò quā tulit legē contra alios, eam patiatur ipſe quoq;* Nempe, res ipſa poſtulat. At qui ſunt iſti communes articuli totius Chriſtianitatis ſcripto & confeſsione iam ſatis auditi, declarati, & concluſi, quos impugnat Lutherus, aut eius diſcipuli, vt hoc ſuo ipſius iudicio damnari poſſunt? Quęris qui ſunt articuli? *Cùm videat ſingulas in Germania ciuitates, ſuam quamq; ſeorſum fidem ſiue fidei confeſſionem adferre.* Tot ſunt igitur opinor religiones,

ac contrarię confeſsiones fidei, quot ſunt in Germania ciuitates. ô craſſum Cardinalis aut potiùs peruerſum ingenium! quaſi quot ſunt formulę confeſsionis eiuſdem, tot eſſent diſcrepantes ſententię. *At abſurdum eſt patres veſtros Chriſtianã fidẽ ignoraſſe, & nunc demũ quorundã Chriſti perduellium opera Chriſtum cognoſcendum proponi.* Sanè. Sed qui ſunt Chriſti perduelles? qui eum ſolum regnare cupiunt? an qui regnum eius in mille alios partiuntur? immo ipſi ſacrilega & proditoria audacia inuadunt, & qui milites Chriſti vnico gladio ſpirituali, verbo Dei, ſpoliãt. *Atqui Lutbero nunc idem accidit, quod olim Donato ſcribis euenisſe Auguſtinus: vt ſicut ipſe Chriſtum diuidere conatus eſt, ſic ipſe à ſuis quotidiana conciſione diuidatur. Nam vt non accenſeamus ei ſacramentarios, Anabaptiſtas, Campanos: Philippus, Brentius, Oſiander, Illyricus, ſunt ex profeſſo Lutherani, & tamen inter ſe infenſiſſimi. Modo ſingulę in Germania ciuitates, ſuam adferebant fidem, nunc etiam ſi pergis, ſinguli in Germania homines ſuam profitebuntur diuerſam ab alijs omnibus.* De Auguſtana confeſsione q̃ infœlices fuerint concertationes, & ſi piget meminiſſe, de ſumma tamen fidei Chriſtianę ſatis conſtabat inter pios omnes. Quid ſi de voculis & ceremoniolis litigatũ ſit? an ſtatim tota religione diſident, qui in omnibus eadẽ non ſentiunt? Ego verò me querelam de Philippo tollendo non audiuiſſe fateor, etſi qui fuerint qui cędem & ſanguinem eius ſpirarent, ſatis ſe prodebant cuius eſſent filij, nimirũ homicidę diaboli. Si Illyricus Philippum, à Lutheri placitis in multis diſceſsiſſe, & in dogmate de Euchariſtia ad Caluini

ſenten-

sententiam accessisse iactet, quod nec Caluinus ipse diffiteatur: oro quid piaculi fecit? An viros pios doctosqué putas iurare in verba Lutheri, sicut vos in verba pontificis Romani? an nos Lutherum non potuisse errare credis opinari, quod vestrum est de Papa iudicium? Immo sanè licuit, semperq; licebit, agnitam veritatem cuiuscunq; hominis, vel doctissimi ac sanctissimi sententię præponere. Et labuntur etiã interdũ viri tum eruditione tum pietate excellentissimi. *At dices in leuioribus tantũ reb⁹, cùm vos de iustificatione, summa nimirũ Euangelij, pugnacitèr inter vos certetis, cùm Brentius Osiandri sententiã tueatur, à qua Philippiani abhorrent.* Scilicet, si minus intellectã impiã Osiandri sententiã nõ statim damnauit Brentius, causam eius suscepit suo patrocinio defendendã. At λεύτερος forsitan φροντισι melius sapuit Brentius, & Osiandri hęresis ab omnibus bonis meritò explosa est. Quis igitur calumnię locus vel odiosissimè adhibitę? *Sed Lutherani ipsi sibi sunt inuicem hæretici, vt aliys eos elogijs ornare non sit necesse, quàm quibus ornant sese mutuo.* Non sunt omnino probandi, qui se mutuo vitijs lacerant, at si qui tales sunt, non deteriores papistis repetientur. Vbi enim acrior pugna, quam inter ipsos monachos Dominicanos & Franciscanos? an magis isti ab hęretici aut scismatici conuitijs abstinent, quàm illi? At nunquam definis illam Lutheri legem vrgere, vt indicta causa condemnarentur tam Lutherus, quàm qui ab eo dissentiunt. At eam legem tulisse Lutherum nusquam ostendis, nisi aduersus *Manifestos blasphematores*,

qui

*qui receptos ab inuersa Ecclesia omnium seculorum articulos fidei conuellere aggrediuntur*, qualem tu Lutherum, aut innumeros piam cum illo doctrinam euangelij amplexos, etiamsi te ruperis, nunquam vel ex sacris litteris, vel ex orthodoxis patribus demonstraueris. Quod Zuinglianos & Lutheranos, non stylo, sed sceptro, aut gladio potius magistratus coercendos censes, agnoscimus mite illud & placidum Episcopi catholici ingenium. Sanè quia brachio seculari fortiores estis, quàm spirituali gladio, & sitis illa inexplebilis matris vestrę Babylonis, sanguine citiùs quàm atramento restinguetur. Sed te, & tales Lutheri discipulos, quos authores sanguinarię illius legis facis, manet apud iustum iudicem, pœna talionis aliquãdo, vtcunqué tergiuerseris, infligenda. Verum quòd nihil à Lutheranis adferri dicis, quod non antè mille annos fuerit hęresios condemnatum: dicis tu quidem multũ, sed si ab allegatis & probatis æstimanda sit tua assertio, parum ad rem, aut planè nihil. Redis enim illico ad toties laudatam Tertulliani sententiam, à qua transis vltra ad Cypriani authoritatem, qui tametsi de insidijs diaboli, & hęreticorum hypocrisi queritur, de expresso Dei verbo, aut scripturę sanctę authoritate, ne verbum quidèm dicit, in loco à te citato. At idem contra Aquarios sui temporis hęreticos, quibus armis pugnat? an non scripturę testimonijs? an non Euangelij authoritate? *Si in sacrificio* (inquit) *quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, vtiq; id nos & obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit, cum ipse in*

*Euan-*

*Euangelio suo dicat: Si feceritis quod mando vobis, iam non dico vos seruos sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri, pater etiam de cœlo contestatur, dicens: Hic est filius dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. Quare, si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Lib. 2. Epist. 3. Nec aliud loquitur Cyrillus, quàm quod fatemur omnes, hæreticos peruertere scripturas diuinitùs inspiratas, ad suum ipsorum interitum. Sed an idcirco Cyrillus hæreticos de scripturis non refellit? cuius tot extant volumina, contrà eos exarata, in quibus non alio fulmine eos prosternit, quàm sacrorum librorũ authoritate. Quin & Augustinus, quoties & quam acriter contendit ex solis scripturis, fidem Christianorum stabiliendam, & hæreticorum ac schismatorum perfidiam profligandam? cuius hæc sunt verba in libro de pastoribus, contra Donati sequaces cap. 14. *Quærit infirmus Ecclesiam, quærit errans Ecclesiam: tu quid dicis? partis Donati est Ecclesia. Ego vocem pastoris inquiro. Lege hoc mihi de propheta, lege mihi de Psalmo, recita de lege, recita de Euangelio, recita de Apostolo, inde ego recito Ecclesiam toto orbe diffusam.* Et Paulo post, *Tu accusas, non Euangelium. Tu accusas, non propheta, non apostolus, de quo mihi vox ista loquitur, de illo credo, aliis non credo. Sed acta proferes, acta proferam. credam tuis? crede & tu meis. Non credo tuis, noli credere meis. Auferantur chartę humanæ, sonent voces diuinæ.* Ambrosius verò, vtcunque *hæreticos censet qui per verba legis legem impugnant, tamen ab Ecclesiastica regu-*

*la abhorrere indicat, nec vllo modo vsurpanda, quæ in scripturis sanctis non reperiantur.* Offic. lib. cap. 23. Sed Carthaginense Concilium quo tu consilio proferas nequeo mirari satis, nisi forte Concilia non modo quæ per prouincias celebrantur, sed ipsa etiam plenaria vt Augustinus sentit & errare posse fatearis, & corrigi debere agnoscas, si quid contra scripturas veteris & noui testamenti decernant. *At illius concilij patres sententiam suam de hæreticorum baptismate reijciendo, expresso Dei verbo sibi probasse visi sunt:* & Vincentius etiam Lyrinensis, *Non diuinæ legis oraculis, sed vero eorum sensu destitutos fuisse scribit.* Et nos etiam tuæ sententiæ suffragatores habebis, quod ad errorem suum confirmandum abusi sunt testimonijs aliquot sacræ scripturæ, præter mentem spiritus sancti. Verum in hoc tibi assentiri non possumus, quod sola Ecclesiæ authoritate explosus fuerit eorum error, cum constet ex Augustino in libris de baptismo contra Donatistas infinitis ferè locis, non sola Ecclesiæ authoritate, aut pontificis Romani decreto, licet ipse Stephanus Romanæ Ecclesię Episcopus se opposuerit Africanis, errorem illum sublatum, sed diuinarum literarum testimonijs rectiùs intellectis fuisse iugulatum. Quoties igitur à Donatistis premebatur Cypriani, Agrippini, aut eius Concilij sententijs, non ad solam Ecclesiæ aut Romani præsulis authoritatem confugit, sed ab omnibus hominũ scriptis, ad canonicos noui veterisqué testamenti libros, sępissime prouocat, sed quanti fuerit apud veteres illos patres, Cyprianum, eiusqué collegas, totius Africanæ Ecclesiæ

Episco-

Episcopos, Romanæ Ecclesiæ, aut illius præsulis authoritas, quis non videt: quòd Stephano cum Romanis contraria sentienti, non magis cesserint, quàm alijs sibi cedere postularent ? Noua igitur profectò hæc est dignitas, illo seculo incognita, quam sibi Romani antistites, suæque synagogæ arrogant, vt quod illis placitũ fuerit, sine vlteriore disquisitione ab omnibus Christianam religionem professis, pro vero & catholico haberi debeat, vt qui ipsorum decretis non subscribant, *indicta causa & inauditi sint hæreseôs condemnandi. Cæterum Hilarius optimè monet, neminem esse hæreticorum, qui se non secundùm scripturas predicare ea quæ blasphemat, mentiatur.* Rectè. At idem Hilarius, de summis fidei capitibus disserens aduersus eosdem hæreticos, de trinitate libro quarto, præclarè scribit: Cessent itaque proprię hominum opiniones, nequé se vltra diuinam constitutionem humana iudicia extendant: Sequamur ergò aduersus irreligiosas & impias de Deo institutiones, ipsas illas diuinorum dictorum authoritates, & vnumquodqué eorum ipso de quo quęritur authore, tractabimus. Et Hieronymus qui contra Luciferianos scribens, hæreticos asserit videri sibi de scripturarum capitibus affirmare quod dicunt. Idem inquam Hieronymus, fatetur errare hæreticos, quòd scripturæ authoritatem non sequantur. In Oseam libro 2. cap. 7. Omnes (inquit) hæreticorum & gentilium quęstiones, eędem sunt, quia nõ scripturarum authoritatem, sed humanæ rationis sensum sequantur: Nec aliud de Arrianis scribit Athanasius, quàm quod in papistas æqué di-

ci posit, qui voculas aliquot scripturæ vsurpant, vt illis obtecti, aspersos veneno suo simplices decipiant. Eodem spectat & Chrysostomi testimoniū, qui licet Arriū hæreticum scripturis abusum narret, ipse tamen sedulò omnes, etiam laicos, ad earum lectionem hortatur: & non solùm hæreseôn, sed & omnium aliorum malorum originem, ex neglecta diuinarum scripturarum lectione profluxisse constanter asserit, vt prius etiam ostendimus. Cuius etiam hæc sunt verba. Nequé nunc fieri potest, non potest inquam fieri, vt quisquam salutem assequatur, ni perpetuò versetur in lectione spirituali. Hoc si ita est, vt tam sanctè affirmat Chrysostomus, pauci apud vos salutem consequentur, cùm non modo non versentur in spirituali scripturarum lectione, sed à vobis ipsis salutis ipsorum custodibus, à sacra lectione, tanquam à scrupulo pernicioſisimo arceantur. *Verùm congressurus cùm Augustino Maximinus Arrianus, hanc ei disputandi legem præscripsit, vt si quid de diuinis scripturis protulisset, id quoque necesse haberet,* Aequissima sanè lex vt quam Augustinus non modo accepit libens, sed etiam hęretico sponte proponit. lib. 3. cap. 14 *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius authoritate, nec tu illius desineris: scripturarum authoritatibus, non quorumq́, propriis sed viriq́, testibus communib⁹, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Illud vero iniquè Maximin⁹, & pro hæretica versutia postulauit, vt nullæ voces susciperentur, quæ extra scripturam essent: quasi Deus in verbo suo, de vocib⁹ ac nō de rebus ipsis

disser-

disseruisset. Vt enim vitandæ sunt vocum nouitates, vbi nihil est necesse à consuetis ac receptis recedere: ita qui sensum ac mentem spiritus sancti, ijs vocibus exprimit, quæ sunt ad hoc maximè idoneæ, non modo non peccat in Deum, sed vtilem etiam operam Ecclesiæ locat, quantumuis ipsæ voces, in sacris literis non reperiantur. Non minus igitur stultè quam impiè Macedonius, Nestorius, Eutyches, qui cùm apertis scripturæ testimonijs refellerentur illorum deliria, de voculis litigabant, quas tàm cõstabat non reperiri in scripturis, quàm certum erat earum mentem ac sententiam pœnè infinitis ac solidissimis scripturę testimonijs contineri. Et recte quidem Origines (quod te puto in verbis eius non animaduertisse,) *Idcirco diabolum scripturis abuti docet, quod sciat, si de alijs voluminibus loqui voluerit, non decipiet, neq; habere poterunt authoritatem assertiones eius.* Videsne adhuc nullam authoritatem alijs scriptis deberi, prętерquam solis diuinis eloquijs? Non mirum igitur, si diabolus, & qui sunt eius furoris ac impietatis flabella ac instrumenta hæretici, vt facilius fucum faciant, aliqua errorum suorum patrocinia è scripturis sese quærere simulent. Quamobrem bene mones, immo optime apostolus, *Ne omni spiritui credamus, sed probemus prius spiritus, an ex Deo sint.* At qua tandem regula examinandi sunt spiritus? nisi ad normam legis diuinæ, quam certissimum est ex Dei spiritu profectam. *Sed non soli sunt Lutherani, qui expressum Dei verbum iactando aures vestras obtundunt, verùm alij.* qui alij? Sacramentarij. quasi tam multum interesset in-

ter eos quos tu vocas sacramentarios, & Lutheranos. *Quin & Anabaptistæ, & noui illi, quos vocas prophetas.* Et cur non hijs etiam papistas adnumeras? Nulli enim confidentiùs se efferunt, de expresso Dei verbo iactantes, cùm ἐν τῷ ῥήτῷ speciem aliquam defensionis habere se putent. Quanto supercilio illud Christi: Hoc est corpus meum, vrgent aduersus Lutheranos & Sacramentarios? Inter alios igitur hæreticos, Papistæ de expresso Dei verbo gloriantur, vt qui maximé. Satis iam diu in hoc cardine versatus es Reuerende Cardinalis, vt totis quadraginta libelli tui pagellis ostenderes, quod ipse fateris nulla indigere demostratione, & quod tibi aduersarij etiam tui, sinè vlla contentione largiuntur. *Verum quis ille sit hæreticorum nostri temporis princeps, qui propterea hoc nomen scripturam sacram consequutam scribat, vt vocetur liber hæreticorum, quod ex ea ducant originem omnes hæreses?* nisi Pontifex vester Romanus, haud facilè diuinare possum. Quid enim fuit olim aut etiam nunc est apud tui similes, cornutos Episcopos, antichristi Romani mancipia, tam capitale, tam hæresi coniunctum, quàm librum legis diuinæ, vel habuisse, vel legisse? Extant adhuc in archiuis Episcoporum, acta conscripta, consignata, quàm plurima, quæ hoc solo nomine multos hæreseôs & infamatos & condemnatos testentur: quod aliquid è sacris literis sermone populari vel legerint, vel recitauerint. At colligis te ipse tandem, & quęris, *Quorsum ista omnia? num aut verbum Dei extenuare, aut ei authoritatẽ detrahere coneris. Num fatuum sit hæreticus, si quis scripturæ testimonio vtatur.* Sed hæc ab homi-

hominis Christiani cogitatione alieniſsima vis eſſe debere. Ita ſanè decet ſimulare hypocritas, ne ſaxis & ſudibus de triuio petantur, niſi ſuas blaſphemias, aliquo ſanctitatis fuco obtegere valeant. Quaſi verò non ſatis conſtet, quem vos honorem ſacræ ſcripturę deferatis, qui & ipſam, & ſenſum eius, Romani pontificis, indocti plerumquę hominis & imperiti iudicio ſubijciatis. *Sed placet interim ab Hilario dictum, De intelligentia hæreſis eſt, non de ſcriptura, ſenſus non ſermo ſit crimen.* Sane quidèm: *Senſus enim, quem adfert homo mendax eſt, quippe cum omnis homo mendax ſit. Pſal. 115, & qui mendacium eſſe poſſe negauerit, in ſenſu quem adfert homo, quid is aliud, quàm Dei vocem negare, ſimul mendacij ſpiritum ſanctum arguere, videbitur?* Hancine tuam vocem agnoſceres Staniſlae, ſi quis inferret etiam in ſenſu, quem adfert Papa, cùm is homo ſit, qui mendacium eſſe poſſe negauerit, quid is aliud, quàm Dei vocem negare, & ſpiritum ſanctum mendacij arguere videbitur. ? At eſſe hominem fortaſſe negares, quem errare poſſe non audes confiteri. Iuxta illud, quod de Papa ſcriptum eſſe, ne tu quidèm ire vis inficias, *Nec Deus es, nec homo, quaſi neuter es inter vtrumq;*. ô poetam tali pontifice dignum! Sed quid dicas? ita ſunt homines, Pictoribus atquę Poëtis, quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Cæterùm, iſta mittamus, & proſequamur quæ ſunt huius inſtituti propria, quanquam nec illa penitus ſunt aliena. Sequitur igitur non eſſe mendacium quicquid homo loquitur, ſed tum demum cùm de ſuo loquitur, *Sic enim ipſa veritas docet, Qui loquitur*

quitur (inquit) *mendacium, de suo loquitur.* Vbi verò sic docet ipsa veritas? Lego Ioannis octauo, verba veritatis de diabolo, quòd homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quòd non sit veritas in eo. Quando loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est, & pater eius. Verùm vt tu citas verba illa, nusquam lego, nequé te aliundè nisi de tuo habere scio. Verùm bis ad eundem lapidem impingis, quòd non vacat tibi tanta Ecclesiæ negotia sustinenti, vel aperire libros Euangelicos, homini alioquin in scripturis sacris exercitatissimo. At bene hoc dixeris, cùm quicquid habeat homo veritatis & iustitiæ, à Deo habeat. Nemo autem habet de suo, nisi mẽdacium & peccatum. Esto, sed cùm distinctè loquatur veritas, mendacium esse ab autore diabolo, & Apostolus veritatis testis, dicat: Qui facit peccatum ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat, maliem dicere, ex diabolo, quàm ex suo, hominem habere, tum mendacium, tum peccatum. Quanquam nequé hîc certare tecum velim. Loquatur de suo qui mendacium loquitur homo: & discernatur, qui Dei sensum adfert, ab eo, qui proprium ex celeberrimi doctoris Augustini sententia, *Quòd is de suo loquitur, & mẽdacium loquitur, qui quod publicum est, facit priuatum, quod ab omnium fidelium communione receptum est, conuellere tentat.* Vel (vt loquitur Apostolus) qui profert aliquid, quod à fidei communis analogia abhorret. *Veritas enim est omnium fidelium communis, non priuata alicuius.* sic Augustinus, *Tu verò non alibi veritatem statuis, quàm apud omnes.* Sed commodè te interpretaris, *Hoc est, in Ecclesia catholica.*

tica. Hinc de sensu scripturæ concionaris, eum solum esse verum, qui in Ecclesia catholica sit receptus, cùm tamen de sensu nullum verbum apud Augustinum, sed de dogmatibus priuatis, quæ mihi, aut tibi, aut illi, aut illis, vera videntur, cùm à communi & recepta apud omnes fideles fidei regula exorbitent. Veritas (inquit) ad Deum sermone directo tua, nec mea est, nec huius, nec illius, sed omnium nostrum, &c. Sit hoc Augustini verum, nihil tamen vt deroget, (quod ipse noluit) eius veritatis maiestati, quæ dixit, Sermo tuus veritas. Sit etiam Ecclesia columna & stabilimentum veritatis, sed eius quę sermone Dei continetur. Nec sensum scripturæ aliquis Ecclesiæ titulo obtrudat, qui sermoni eius, quæ sola est veritas, manifestè repugnet. Aut enim sunt quędam in scripturis tam manifesta, vt nullius interpretatione egeant, hijs qui sanę mentis sunt: aut tu ineptè disputas, qui ex scripturis probas, sensum earum apud solam Ecclesiam reperiri. Argumenta enim clariora esse debent hijs quibus, vt fidem faciant, adhibentur. Sed illud scitum est, *Quod hæc sit causa, quoties Euangelistæ aut insignis alicuius doctoris memoria sit in Ecclesia vestra, quod & in introitu missæ, & in horis canonicis illud ex Ecclesiastico legitur: In medio Ecclesię aperiat os eius: quo significetur, non aperire cuiusquam os, Deum, nisi sit in medio Ecclesię.* ô prędara mysteria Ecclesię vestræ! Hęc an sit tantum Varmiensis Ecclesiæ consuetudo, an apud omnes Papistarum religionem amplexos recepta, ego me nescire fateor. Non enim memini me legisse, quamuis euoluerim aliquot eius farinę volumina. Veruntamen

Ioan. 17.

Eccle.15. hoc quale sit videamus. Primùm Ecclesiasticus hæc verba (nisi me etiam grammatica fallit) non de Deo, sed de iustitia protulit, quæ suos cultores multis dotibus beabit. Deinde, si satis vocabuli istius, Ecclesia, expensa est mihi significatio, cum circumstantia loci, quemcunqué hominum cœtum legitimè coactũ designat, potiùs quàm vniuersalem Christi Ecclesiam. Iustitia enim (inquit) exaltabit eum apud proximos suos, & in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & stola glorię vestiet illum. Hoc est, honorem, dicendi libertatem, & facundiam conciliabit illi, inter populares eius. Sed iniqué forsitan facio, qui cùm ex missæ introitu, & horis canonicis constet, quæ sit Ecclesię catholicę, huius loci interpretatio, de alio sensu ausim contendere. Nihil est enim tam auditu, dictu, cogitatu absurdum, aut à ratione, aut communi sensu abhorrens, quod non credendum, tenendum, admittendum sit, si volet Ecclesia catholica, & eius caput Pontifex Romanus. Etiam fiatur latinum erit, si Pontifex Maximus, volet, ferat, iubeat: is enim solus est omnia. *At verò, quisquis ab Ecclesiæ catholicæ sensu ac cõsensu discedit, is & hæreticus est, & schismaticus: & quamlibet multa scripturarum testimonia producat, non tamen expressum Dei, sed expressum diaboli verbum producit.* Age verò, quoniam adoratam à Constantino dicis Nicæni Concilij sententiam, quis oro fuit Ecclesię sensus & consensus, cùm omnes Patres, vno Paphuntio excepto, decernerent, abstinendum esse ministris Ecclesiæ ab vxoribus? solus Paphnutius, qui restitit, congressum cùm legitima vxore castitatẽ esse asserens, ex apostoli verbis,

verbis, qui thorum coniugalem ἀμιαντον vocat. Num hæreticus, num schismaticus? Qualis etiam Panormitani sententia, qui plus vni laico credendum esse scribit adferēti scripturas, quàm toti Ecclesiæ sine scripturis? *At lux intelligentiæ à Deo promissa nunquam deseret Ecclesiam, vox enim Ecclesiæ, vox est Dei per illam loquentis:* sanè cum ex illius verbo loquitur. Sed vt hæc omnia tibi largiamur, quæ tam auidè affectas, de Ecclesiæ catholicę sensu, consensu, authoritate: quis sanæ mentis dabit tibi Ecclesiam Romanam, hoc est papisticam, esse catholicam Christi Ecclesiam, aut aliquid ferè habere cum illa commune, prę-ter nomen, & externos aliquos ritus, fidem, doctrinam, & cœtera ferè omnia profiteatur illi cōtraria. Non enim lis est nobis vobiscum, de vnius aut alterius loci interpretatione, sed de totius religionis fine ac scopo, de cultu Dei opt. max. & Ecclesiæ eius iure & possessione. Quā facilè igitur corruit tota ædificij tui moles & structura, in qua tam diu sudaueris, vt Ecclesiæ asseras sensum scripturę competere, cùm vt tibi id largiamur maximè, nunquam tamen Ecclesiæ Christi honorem vobis deferemus. Ea est enim Ecclesia Christi, quæ sponsa eius, vocem audit sponsi, quæ eandem seruat fidei regulam per omnium seculorum ætates, quę denique nullum Deo cultum, præter ipsius voluntatem affingit. Vestra verò synagoga Christi vocem suo iudicio subijcit, ab antiquis & olim multis retrò seculis receptis in Ecclesia, tam fidei articulis, quàm externis ritibus, longè latequé discessit.

Nouum

Nouum deniqué Dei cultum commenta est non modo illius præceptis non consentientem, verumetiam valdè repugnantem. Quos non pudet imaginum cultum non solùm permittere, sed etiam defendere, vt similes fiatis eis quę colitis; qua fronte, quo ore audetis castissimę Dei zelotypi coniugis Ecclesiæ gloriam, vestro tam impuro cœtui arrogare? Pergis tamen adhuc Basilij testimonio niti, quòd veritatis deprauatores, non suam scripturæ mentem accommodant, sed ad suam voluntatem mentem scripturarum trahunt. Optimè sanè Basilius. Quid potuit dici in papistas conuenientiùs, qui scripturæ mentem suam accommodare aspernantur, vt ex ea vnica veritatis regula veritatem addiscant: sed vt sui cerebri inuentis, quę vocant Ecclesiæ decreta, dignitatem conciliare possent, perfidè scripturis abutuntur: &(vt sonant Basilij verba,)ad suam voluntatem, mentem scripturarum trahunt. Vtinam verò Basilij sententiam amplecti vellent, qui humanis traditionibus adeò sunt addicti, vt quid in diuinis scripturis traditum sit, susqué dequé habeant. Vult quidèm Basilius, nihil quenquam sibi permittere, aut facere, aut dicere, quàtumuis illi bonum videatur, sine testimonio diuinitùs inspiratæ scripturę. Vult recens ad fidem conuersos, ex sacris literis institui, quod omnino necessarium esse statuit vnicuiqué Christiano, tam ad fidei certitudinem & pietatem, quàm vt nequis humanis traditionibus assuescat. A Basilio ad Clementis consilium te conuertis, quod ex præclaris illis recognitionum libris, & Epistolis etiam profers, *Vt cùm lex Dei legitur,*

*In dist. 4. & Quæ. 63.*

non

*non secundùm ingenij proprij intelligentiam legatur, sed doceatur: sunt enim multa in scripturis diuinis, quæ possunt ad eũ sensũ trahi, quẽ vnusquisq; sibi præsumit. & ideo scripturarũ intelligẽtiã oportet* (inquit) *ab eo discere, qui eam à maioribꝰ secundũ veritatẽ sibi traditã seruat.* Sic tuus Clemens recognitionum. lib. 10. & Epistola etiam quinta loquitur: sed ne pigeat eundem Clementem, ex iure canonico dicentem audire, distinct. 37. c. Relatum. Lex Dei cùm legitur, non secundúm propriam ingenij virtutem vel intelligentiã legatur vel doceatur. Sũt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quẽ sibi vnusquisque sponte præsumpserit: sed non oportet. Non enim sensum extrinsecus alienũ & extraneum debetis quærere, vt quoquo modo ipsã ex scripturarum authoritate confirmetis: sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet. Hoc sanè dignum fuit Apostolorum discipulo consilium, Non aliundè, quàm è scripturis verum scripturarum sensum eliciendum esse. Illa verò tui Clementis sententia, si genuina Clementis fuit, ad ipsos apostolos interpretationem retulit: quos enim alios maiores habere potuit eo seculo ecclesia Christi? aut quod magis suspicor, sapit suppositititium spiritum Papistici alicuius impostoris. Sed fuerit Clementis, vt tibi arrideat maximè, illius consilium, modo nè graueris quod ex decretis protuli eiusdem Clementis consilium laudare & amplecti. Et vt scribat Ruffinus, illa duo Græciæ lumina, Basilium magnum & Gregorium Nazianzenum, ex maiorum scriptis, & authoritate interpretatos fuisse scripturas, quid

impedit, quo minus & hoc etiam Clementis consilium, quod nos laudamus, & ipsi probauerint & sequuti essent. Quod verò ex Augustino profers contra Faustum Manichæum, parum aut nihil tuę assertioni quantumuis verę suffragatur, cùm non illic de scripturæ interpretatione, sed de authoritate librorum diuinorum disceptetur. Dum Manichæi quosdam libros integros reijcerent, & ex ijs libris, quos recipiebant, aliqua etiam respuerent. Atque hîc rursum in eos declamitas, qui Ecclesiæ neglecta authoritate, priuato sensui indulgent. Hos damnas superbiæ, arrogantiæ, tyrannidis. Interim verò Lutherũ occultè perstringere videris, quòd ex scripturis docuit vota vitæ cœlebis coacta vel temerè suscepta, non arcere homines à coniugio qui castè in cœlibatu viuere non possunt. *Adamauit* (inquis) *monacho monacha, visum est illi, quod hunc aut illum sensum, hæc aut illa scriptura haberet.* Non ausus tamen manus vltro conferre, leui velitatione contentus, ad illa toties decantata recurris, Ecclesiæ iudicium priuato alicuius sensui præponendum, opinionem scientiæ charitate vacuam homines inflare, veram esse humilitatem proprio sensu non niti vnumquemquè, sed omnes ad obsequium Christi capitis & corporis se componere debere. Mox Lutherum, Carolstadium, Zuinglium, Oecolampadium, Caluinum exagitas, quòd hij scilicet non scripturę factæ dispensatores, sed domini esse postulant, ab omnibus obsequium requirunt, in eo quem ipsi protulerint scripturæ sensu amplectendo. Quòd Lutherus neminem sibi æqualem patiatur,

tur, cæteri ne Lutherum quidem ferre possint. Tandem Balthasarum quendam Pacimontanum & Suenkfeldium, cum cœlestibus suis prophetis adiungis, quorum cum dissimilis sit hæresis, similis tamen est in scripturis torquendis superbia & impudentia. Sed quorsum ista? quasi in scripturę expositione conspirent omnes doctores papistici, cùm tot ferè sint multorum locorum expositiones, quot sint interpretes. An hoc nescisse Sigismundum Polonię Regem credideras? vt eius facilitate tam licenter abuteris? & quorsum igitur attinet malignitatis tuę virus in istos tam petulanter expuere, vt toties eos tyrannidis accusares, immo condemnares, quid dico tyrannidis? immo verò non regnum, sed numen ac diuinitatem eos affectare insimulas, vt coli velint, vt coram eis incuruentur cæteri, quicquid eorum aliquis dixerit, è vestigio tanquàm Dei vocem adorari postulent. Hęc quàm longè absint ab eorum studio, quos tu præcipuè insectaris, (nec enim Anabaptistas aut Suẽkfeldianos multũ curas) nouit vnicus ille scrutator cordiũ, cui aliquando falsi testimonij dicti pœnas dabis acerbissimas, nisi te scelestæ malignitatis maturè pœniteat. Sed ô Deum immortalem! cuius hæc vox, hominis Christiani? an Sathanæ potiùs per os impuri canis blasphemias euomentis? *Nos ipsas etiam scripturas, quarum tot iam, non diuersas modò, verùm & contrarias interpretationes adferri videmus, facessere iubebimus.* Eugè episcope! eugè Romane Ecclesiæ columna! eugè Cardinalis Hosi! iubes facessere scripturas? Audiat hęc non Sigismundus modò Rex Augustus,

gustus, sed vniuersa per orbem terrarum diffusa Ecclesia. Audiat etiam grex totus papicolarum. Non poteras diutius odium, quo in sacram scripturam flagrabas, intus in pectore continere. Erumpit igitur tandem. Immo, nisi semel maleuolentiæ virus, quo turgebas, eructasses, crepuisses medius. Tam dirum te cœperat verbi diuini odium, vt præ bile moriturus fuisses, nisi ipsas etiam scripturas facessere iussisses. Verùm scio quid respondeas, te nihil aliud quàm Suenckfeldij blasphemias repetere. At quis nõ videt quàm libenter, sub Suenkfeldij larua, tuum in scripturas odium, tuum de scripturis sensum Suenkfeldij verbis exprimas, nisi forte etiam modestius & ille, & Anabaptistę, & Libertini, (& quotquot spiritu fanatico feruntur) loquantur, quàm tu illis pro tuo non in eos sed in scripturas odio affingis. *Nos ipsas etiam scripturas facessere iubebimus, & quod nobis cœlestis ille magister dignatus fuerit reuelare, tanquam expressum Dei verbum, eâ qua par est reuerentia recipiemus, ac ipsum loquentem potiùs audiemus.* Quid ais personate Suenkfelde? annon loquitur in scripturis cœlestis ille magister? Sed reliqua prosequere. *Ipsum loquentem potiùs audiamus, sicut etiam prophetæ dicit: (Audiam quid loquatur in me Dominus,) quàm vt ad egena ista elementa nos conuertamus, & in illis, quæ nunc in hunc, nunc in illum sensum inflecti videmus, salutem nostram constituamus.* An in eo loquetur Dominus, qui scripturas diuinitùs inspiratas vocat egena ista elementa? qui salutem in illis constituere dedignatur? Sed nondum peruomuit. Accipe reliqua. *Non oportet legis aut scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum,*

Vanus

*Vanus eſt labor, qui ſcripturæ impenditur. Scriptura enim creatura eſt, & egenum quoddam elementum. Non conuenit Chriſtiano nimiùm creaturæ addictum eſſe, Deum audire oportet, huius voces de cælo expectandæ ſunt, vt nos erudiant. Beatus vir* (inquit) *Dauid, quem tu erudieris. Aequè nos docet hodie atqué olim Patriarchas & Prophetas: prohibuit Chriſtus, ne plures magiſtri fiant, quòd vnus eſt magiſter noſter in cælis.* Potuit ne quæſo vel Suenkfeldius, vel Quintinus, vel ſpiritus ipſe Anabaptiſtarum ſuperbiùs & maiori faſtu ſibi vni aſſerere veritatis doctrinam? poterāt ne rurſus ijdem, vel Porphyrius, vel Lucianus, vel Diabolus ipſe abiectiùs aut deſpectiùs de ſacroſanctis ſcripturis verba facere? vides quàm procul ſunt ab Hoſio, quæ pridem dixit, debere eſſe aliena ab homine Chriſtiano. Sed nimis ſum in Hoſium iniquus, qui quæ ille in Suenkfeldium contorſit, ad Hoſium per calumniam detorquere ſtudiam: ſim ſanè, niſi paria his, ab ipſo in ſacrum Dei verbum, ſuis etiam verbis, nulla alterius perſona obumbratis proiecta oſtendero. Vt enim omittam blaſphemias illas, de naſo cæreo, & Lesbia regula, aliaſqué eius generis, tam ab ipſo quàm alijs Papiſtis, quorum omnium idem eſt ſenſus, idem odium in ſcripturas ſanctas euibratus, an non in hoc ipſo libello, Chriſti mandatum de calicis participatione negat eſſe verbum Dei ſaluificans? Immo, nullum aliud in ſcripturis agnoſcit verbum ſaluificans, præterquam illud breue & expeditum A M A. Si omnis ſcriptura θεόπνευστος non ſit ſaluificans, (vt illius vocabulo vtar) quid aliud relinquitur, quàm vt ſit

creatura quædam egena, & infirmum mundi elementum? Tolle enim ab Euangelio, potentiam Dei ad salutem, à scriptura θεόπνευστω vim erudiendi ad salutem, quod facit apertè Hosius: & quid est quod amplius reprehendat in Suenkfeldio, cum quo in eadem hęresę planè conspirat? Quibus nunc igitur telis pugnandum est aduersus Hosium deinceps? an scripturis, quas ille tam ex sublimi contemnit ac deijcit? an patrum orthodoxorũ scriptis spes est eum moueri posse, cui scripturę canonicæ nõ sunt verbum Dei saluificans, sed egena mundi elementa, & creaturæ viles? an deniqué ea ratione cum eo agendum est, qui absque ratione insanit? Sed liceat tamen etiam cum furioso sermones serere. Si non sit scriptura verbum Dei saluificans, si non est maior eius dignitas, quàm vt inter egena mundi elementa connumeretur, si vanus est labor, qui scripturę impenditur, si denique facessere iubebitis scripturas, (quod malè vobis vertat) cur tu non solùm in isto tuæ insaniæ paroxismo bis teruè, sed sæpius etiam in toto libello tuo scripturæ testimonijs veteris? an non hoc est, quod verè ab Augustino dictum est, omnem de medio auferre scripturæ authoritatem, negare scripturas vim habere erudiendi nos ad salutem? Sed vt duo illa mittam testimonia, quæ tamen tam longè à spiritus sancti mente protulisti, quàm cœlum distat à terra, & lux à tenebris, vt scripturam ex scripturis abijciendam demonstrares, vnum illud excutiam, quod ex Psalmo nonagesimo citas, Beatus vir quem tu erudieris Domine.

ne. Qui spiritus sancti sẽsum calles sine scriptura, an auferre etiam aliquid astutè & malicioſè audes è scriptura? Proh pudor! Adeone te perfricuisse frontem, vt dissimulares, quæ in eodem versu, apud Psalmistam sequuntur? Et de lege tua docueris eum. Adeo tu verecundiæ limites transilijsti, vt ipsam etiã ἀναιδείαν impudentiâ tuâ viceris, dum sub hac Suenkfeldij larua, quiduis tibi licere astutè cogitas? Deinde, cuius quęso oris fuit, postquam tam impiè in sacram scripturam sub ficta persona debacchatus esses, statim ad Regem te conuertere? *Vides pientissime Rex quò tandem res ciderit*. Tune illius pietatem compellare audebas, cuius potentiam in tanto flagitio non extimescebas? nec metuebas vindicem tanti in Deum sceleris, quem & regem & pientisimum appellabas? sed cùm nihil in te dici possit, quin id tua superet impietas: comprimam me, etsi difficilè sit, & ad reliquas orationis tuæ ineptias me conuertam. Iterum ingeris *Ecclesiæ vocem, esse Dei vocem, veritatem certissimam, per cuius os Dei spiritum loqui certum est, & indubitatum*. Quasi non possis Ecclesiæ dignitatem tueri, sine contumelia verbi Dei. Nos sanè, quod semel dictum esse debuit, nisi ineptę tuę repetitiones cogerent, eadẽ centies inculcare, nos (inquam) libenter agnoscimus Ecclesiam esse veritatis columnã, ita tamen, vt hęc veritas non alibi quàm in scripturis fundata sit. Ecclesiæ vocem, esse Dei vocem, modo non reclamet vox Dei in sacris literis manifestè descripta, Ecclesiam denique genuinum verbi Dei sensum tenere, modo

ab hac dignitate longissimè absit: Ecclesiam antichristi, quæ est Papistica. *At nulla vobis nobiscum est de scriptura disceptatio*. Atqui si illam pro tuis agnoscis, quas paulò ante è libro tuo ad verbum descripsi, maxima, adeo vt lupis & agnis, quanta sortitò obtigit, tanta nobis tecum sit discordia. *Quin & scripturas canonicas reuerenter recipitis omnes*, scilicet ea reuerentia, qua modo vsus es. *Et nos non aliunde, quàm à vobis*, (si Dijs placet) *easdem habere vltrò fatemur*. Quin ni pergas mentiri, qui tam impudenter cœperis? Quis tibi hoc dabit os ferreum, frons ahenea? Nos diuinę prouidentiæ gratias habemus maximas, quòd ex ipsis Hebræorum & Græcorum sanctissimis & purissimis fontibus, libros canonicos habeamus, & vos cum putidis vestris vulgatę versionis latinę lacunis εὐηθόρας si vultis relegamus. Sed quid sequitur? *De scripturarum sensu controuersiam esse*. Quod tu monstrum hominis fingis pro rege sapientissimo, nihil vt intelligat, nisi idem sit dictum centies. *At proferebat scripturam Arrius: Pater maior me est*, at rursum quid facilius, quàm respondere secundùm humanam naturam, & infinitis scripturis eiusdem diuinitatem, substantia, gloria, æternitate, cum patre & spiritu sancto æqualem, ac eandem demonstrare? verùm similis est (opinor) concertatio inter Lutheranos & Papistas, idque exemplo meliùs intelligetur. Sumit igitur Hosius vnicum scripturę locum tractandum, qui nunc passim ab omnibus profertur. *Expressum Dei verbum esse dicitur, bibite ex hoc omnes*. Verbum non ne-

gat,

gat, at sensum constanter negat, *Quod scilicet omnes etiam laici, communicantes, astringantur ex præcepto Domini ad suscipiendã Eucharistiam sub vtraq; specie.* Hic cum Luthero congressurus, primùm facit eum suæ sententiæ assertorem, quod ille forsitan dixerit olim, priusquàm è papistico cœno emersisset. *Nihil in hac re tanquam necessarium Christum laicis præcepisse, quod hęc verba nõ alijs dicta sint, quàm apostolis.* Deinde, pro Luthero fingit sibi rem esse cum puero quopiam, qui vix primis labris sophistica elementa attigerit, qui cum suis argutiunculis ludat pro arbitrio, & *Cedo* (inquit) *quid vocas verbum Dei?* Respondit alter, *scripturam. Quid autem expressium, clarum, dilucidum, omnium oculis expositum, quod nemo tam hębes sit, qui non videat?* Quid tum postea? statim in ipso principio hominem iugulat. *Obsecro inquit, si clarum est, quid fit quod de eo nunc ambigitur?* ô mirum Episcopi Cardinalis acumen! ita nec nix alba erit, quia aliter senserunt quidam: nec si furiosus ambigat, an dies sit, cùm sol in ipso meridie illuxit, clarum & perspicuum erit esse diem. Immò, quid si media nocte diem esse dixerit aliquis astrologię peritus, qui diem naturalem viginti quatuor horarum constituit? Si ideo nihil clarum est, quia de eo ambigitur, Ecclesię vestrę decreta, quomodo pro expresso Dei verbo habenda sint, de quibus nunc tantoperè ambigitur? Sed reliqua audiamus. *Si tam expressum est* (inquit) *mirum quod sexcentis ijs annis, quibus Euangelium recepit Polonia, nemo vel in Polonia, vel orbe vniuerso repertus sit, qui senserit ex eo astringendos laicos, ad suscipiendam Eucharistiam sub vtraq; specie.* Primùm, vt de

Polonia respondeam, si iam tum, ante sexcentos annos, sacrilegium illud obtinuisset inter Papistas, cùm Polonia bellis domita, potiùs quàm scripturis edocta, suscepisset nomen Christianum, non mirum si totis sexcentis annis perstiterit in eodem errore, quo fuit initio imbuta, ante ortam ei Euangelij lucem. De reliquo orbe constanter nego, aut totis sexcentis annis eam hæresim inualuisse, aut neminem fuisse, qui reclamaret, cùm inualere cœpisset. Satis constat ex libris Saxonicis, ne dubitatum quidèm fuisse, ante sexcentos plus minus annos, in Ecclesijs Angloſaxonum, an laici etiam ad Dominici calicis participationem admittendi essent: immo nullam eo seculo agnitam, nisi spiritualem manducationem Christi in sacramento Eucharistæ. De μετουσια altum fuisse silentium. Sed vt ad posteriora secula veniamus, postquam illud sacrilegium Romanæ synagogæ placuisset, cùm neminem repertum esse dicis, qui eum locum aliter interpretatus fuerit. Miror quod non Waldenses, Wickleuistas, Husitas saltem exciperes. *Ac ne Græci quidèm, quamuis bibant apud eos è calice laici, sic ista verba sunt vnquam interpretati* ? Oportet te valdè familiarem fuisse eis multis seculis, qui hoc pro comperto habeas. Verùm (si fas est quærere,) ne graueris, quæso, respondere, vnde tibi constet Græcos nunquam sic ista interpretatos, cum fatearis laicos etiam apud vos bibere è calice? Nimirum, ( si verum est quod audio ) *Quia in Concilio Florentino, de calicis vsu cum Latinis, ne tria quidem verba commutarunt: quod scilicet scirent*

nullum

*nullum esse Christi præceptum de eo ab omnibus laicis necessario sumendo.* Igitur, sine præcepto Christi audent laicis permittere calicis vsum, & non illi solum, sed & vniuersa Ecclesia antiquior, per decem ferè secula, nullo Christi præcepto, sed libero quodam permissu, laicos ad communionem sanguinis Christi admiserunt. Sed oro te Staniſlae, quî suades idcirco non commutasse tria verba, Græcos cum Latinis, de calicis vsu, quod scirent, nullum esse de eo præceptum Christi, cùm ex actis illius Concilij constet, nullam de calicis vsu habitam fuisse disputationem, nec in quæstionem venisse calicis vsum, vt nec multa alia, in quibus Græci à Romanis dissentiunt. Verùm in cæteris cõsenserunt Latinis. Scilicet Bessarion rubro galero conductus, bonam operam nauauit Ecclesię Romanę: at pax illa, si not ficta, saltem quam firma fuit. Non citius domum fuisse conuersos testantur historiæ, quàm sententiam mutauerint illius concilij patres. At magis verisimile est, nunq̃ mutasse sententiam, sed falso iactatam fuisse à Latinis illis consentionem cum Græcis, vt Basilientis Concilij, quod eodem tempore celebrabatur, dignitatem imminuerent, suoqué cœtui authoritatem ac benevolentiam conciliarent. Hîc mirum est, quàm cristas attollat Hosius, & Lutheranos nimiæ impudentiæ coarguat, *Qui quod tot seculis à nemine visum sit, tam clarum atq; omnium oculis expositum esse clamitent.* Sed reprimit se tandé, & pergit quærere, *Si omnes iubentur è calice bibere, nũ etiam infideles?* immo verò fideles tantum. *Qua fronte* (inquit) *ex omnes facis non omnes?* Hui! facerè

dictum, nihil supra. Sed hanc restrictionem non inuitus accipit. *Et nũc* (inquit) *tu dic amabò: infantes baptizatos, esse ne fideles censes? maximè. Quid igitur? num ex calice bibere iubebis? minimè. Non igitur omnes fideles. Et cur nunc iterum ex omnes facis non omnes.* Mirabilis est hæc argutia, quæ subtilitate sua etiam saxa penetrabit. Quid mirum, si hic quasi interfecto hosti insultet, qui tam morosus esse velit, *vt cum sub altera quæ datur, totus & integer Christus accipiatur, grãde sacrilegium admitti queritetur, si laicis adultis altera tantùm species non detur.* Sed vt de infantibus quæstionem paulisper omittam, & de adultis laicis dissenrentem sequar. Tu quantumuis Episcopus, quantumuis Cardinalis, grande sacrilegiũ esse negabis, quod Pontifex ipse Romanus grande sacrilegium esse definiuit? Saltem non agnoscis quid scriptum sit. De con. dist. 2 cap. Comperimus. *Comperimus ante* (inquit) *quòd quidam sumpta tantũmodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant, qui procul dubio (quoniã nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiso vnius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest peruenire.* Sed aliter dices iamdudum sanciuit Ecclesia in concilio Constantiensi: Audio, quid ex eo sequitur? certè vel errasse Pontificem, quod pleriqué vestrum negant, vel cum grandi sacrilegio contraueniisse concilium. Ad illud verò quod integrum Christum sub altera, quę datur specie contendis accipi, quid aliud respondeam? quàm te Christo ipsi summa cũ blasphemia incogitantiæ notã ascribere, qui aliquid superfluum instituerit. Nam si

totus

totus Christ⁹ sub panis specie, quid op⁹ sanguine, aut idem sub vini specie dispẽsari? Sed quãdo tu sub cibo contineri potum, non dicam medicis, sed rusticis etiam persuaseris, tum demum calicem in pane, & totum in altera specie Christum præsentem concedemus. Verùm redeamus ad infantes, quos rectè arceri ab Eucharistiæ cõmunione fateris, *Non quidùm quia se probare non possint, nec corpus Domini dijudicare, iuxta sententiam Pauli: sed quia plerumq́, quod in os ingeritur, non deglutiant, aut ingestum reijciant (vt censuit Ruardus Tapper summæ authoritatis theologus) cum alioqui superuacaneum sit, vt ij se probent, quos constet esse mundos, & sacro baptismate purificatos, & corpus Domini si sumerent, possint dijudicare in suis tuoribus, quemadmodum per eos credunt, & sathanæ abrenunciant, vt potiantur sacramẽto baptismatis.* Nos sane hanc sententiam tibi cum tuo Tapper, non inuidemus, magis nos tamen mouent rationes ex Paulo desumptę, qui vt se ipse probet, qui eius sacramenti futurus sit particeps, vnumquemqué iubet, & his qui corpus Domini non dijudicãt, grauissima supplicia minitatur. Et quanquàm fidelium infantibus rectè administrari baptismum, quod sub fœdere Dei comprehendantur, meritò iudicemus, non tamen ad Eucharistiam sumendam idoneos censemus, cùm ex apostoli doctrina, aliam esse huius, quàm illius sacramenti rationem discamus. Et licèt in veteri Ecclesia, Augustini nimirum seculo constet, errore quodam temerario infantibus etiam ingestum fuisse Eucharistiæ sacramentum, non tamen apud primitiuam Ecclesiam per annos tercentum obtinuis-

se prauam illam consuetudinem, quisquam antiquitatis consultus facilè ostenderit. Quod si peruersum hunc morem Ecclesia posterior ætate ex sacræ scripturæ authoritate correxerit, non ideo sequitur, expresso Christi mandato neglecto, eandem laicis calicem negare debuisse: nec vllis rationibus tam iustis potuisse adduci, vt contempto manifesto Dei præcepto, contrarium statueret. Sed cùm hactenus mirificè tibi placueris in istis tuis quęstionibus, hoc tamen iniquè nimis comparatum esse videtur, quod tute tibi responsiones etiam finxeris: cum vnico verbo facile fuerit vel puero, qualem tibi proponis respondentem, omnes istas ineptias amputasse, si dixisset, Bibite ex hoc omnes, ad eos pertinere, quibus dictum erat, Accipite, commedite. *Rectè* (inquis) *at illi duodecim tantùm erant apostoli*, idquè ex Matthęo, Marco, Luca, Ioanne, probare niteris. Sed nimis insulse, vtcunquè tibi applaudas in bello hoc inuento. Vt enim ex omnium Euangelistarum testimonijs certum est, duodecim apostolos discubuisse: ita solos duodecim, nec adiunctos fuisse alios discipulos, nunquam viceris. Et vt hoc in medio relinquam, quod quidem si tibi darem, ne pilo meliorem tuam causam faceret, illud tamen omnium sibilis excipiendum est, quod asseris, *Nouos nouæ sacerdotij sacerdotes instituisse Christum dicentem, Hoc facite in meam commemorationem*, nisi fortè omnes qui accipiunt, commedunt, bibunt, quod ille iusserit, mortem Domini annunciant, simul in nouos sacerdotes transformare velis. Sed de sacerdotio vestro, quale est, quæstionem vt tu attingis tantùm,

tum, ita ego leui transcursu præteribo. Illud tamen prorsus omittere non possum, quod Christum iussisse dicis, *vt facerent sacerdotes, quod ipse faciebat, hoc est, consecrarent corpus Christi.* Quale tu fingis corpus Christi, vt consecratione sacerdotis indigeat? non te pudet ineptiarum? *Quin & corpus Christi offerunt in memoriam passionis eius.* Nouum sacrificij genus, quod nec ἱλαστικὸν sit, nec εὐχαριστικὸν, sed si vera sunt quæ dicis, μνημονικὸν. Sed facessant hęc deliria, & ad calicis vsum reuertamur. *Vel vnum verbum proferri vis, non expressum, sed quamlibet obscurum, ex quo conijcere liceat, quod vel iusserit vnquam ex calice bibere laicos, vel saltem bibendum illis ex eo sanguinem suum Christus dederit.* Euge Cardinalis Hosi! iò, triumpha, vicisti. Iam enim non calicis modo vsum, de quo proteruè vobiscum litigant Lutherani, laicis eripuisti, sed & panis etiam sacramentum eadem ratione sustulisti, vt qui sanguine carere noluerint, iam nec ad corpus quamuis exangue sumendum ius vllum arrogare sibi poterunt, & priuantur vtraquè specie, qui carere noluerunt altera. Proferant enim vel vnum verbum, non iam dicam expressum, sed quamlibet obscurum, ex quo conijcere tamen vtcunquè liceat, quod vel iusserit vnquam de pane participare laicos, vel saltem edendum illis sub panis specie corpus suum Christus dederit. Cur enim mihi non liceat eisdem verbis vti de pane, quæ tu tam insulsè, impiè, arroganter, protulisti de sanguine? Si enim ad solos sacerdotes spectat præceptum, *Bibite ex hoc omnes*, cur non multo magis illud?

Accipè-

*Accipite, commedite.* ô crassa papistarum ingenia, & ferrea Romanensiũ ora! Sed quid si tibi proferam non obscurum, sed expressum Dei verbum, quo iusserit Christus ex calice bibere laicos, num ero tibi magnus Apollo! Credo te non dubitare, quin iusserit Christus, quod spiritus Christi per os apostoli iusserit. Hunc igitur audi loquentẽ. 1. Cor. 11. vers. 28. Δοκιμαζετω δὲ ἀνθρωπος ἑαυτὸν, καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω, καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω. Hæc ideo græcè adscripsi, vt imperatiuum modum agnoscas, ne edat & bibat, quę tua est in fingendo audacia, ad potentialem ac permissiuum modum referenda cauilleris. Probet se (inquit) homo, & sic ex pane illo edat, & ex calice illo bibat. Hoccine satis expressum tibi videtur verbum? fatebuntur scio quotquot non dant operam vt cum ratione insaniant. Tu forsitan alias interpretationes, vt in re obscura quæres. Et exerce sanè acumen tuum, modò ne vel omnes Corinthios, tã viros, q̃ fœminas in sacerdotes migrare facias, immo modò ne vel homines quidèm omnes dicas esse sacerdotes, vel solos sacerdotes esse homines. Sed quî nos nec vmbram præcepti in scripturis, inuenire posse asseris? *Contrariũ è scripturis ostendere potes, siue figurã siue rem ipsam spectare velimus.* Agè verò vir egregie, præsta quod promittit tam magnifica hęc pollicitatio, & Phyllida solus habebis. Scilicet, *Manna, & agnus paschalis, figuræ erant, de ijs commedebant omnes, liquida verò nunquam in aliorum, quàm sacerdotum vsum veniebant.* Primùm de Mannã sine liquido à laicis ab-

absumpto egregiè mentiris, cùm apertè testetur apostolus. 1. Cor. 10. omnes patres non solùm eandem escam spiritualem commediſſe, ſed etiam eundem potum ſpiritualem bibiſſe. biberunt enim ex ſpirituali quę ſequebatur eos petra, petra antem erat Chriſtus. De agno paſchali. importunum eſt quod adfers, *Ab omnibus commeſtum fuiſſe, ſed abſq; liquido?* quis enim tibi credat, non bibiſſe Iudæos in cœna qua agnum paſchalem abſumebant? Sed reuera ſanguinem agni, non ad bibendum, ſed ad illinendum poſtibus etiam laicorum deſignatum fuiſſe agnoſcimus. Tam autem imperitè, quàm arroganter, aſtruis, liquida nunquam in aliorum quàm in ſacerdotum vſum veniſſe, quaſi aliter ſacerdotes, aliter populus, ac non eodem ritu omnes, agnum paſchalem commedere iuſsi eſſent. Quę verò liquida agni paſchalis oblatione, à ſacerdotibus abſumpta oſtendes, quorum portionem nullam vſurpabant laici? Quod ſi de vini libamine in alijs ſacrificijs præſcripto te intellexiſſe dicis, adhuc inſcitiam tuã ac impudentiã prodis magis, cùm nec vſquam legim⁹ libatum fuiſſe vinum niſi in holocauſtum, quod igne abſumebatur, & omnem vini ac ſiceræ vſum ſacerdotibus interdictum manifeſto præcepto cõſtet, cùm in tabernaculum ſemel ingreſſuri eſſent. Leuit. 10. Sed figura omiſſa, in qua nihil oſtendis, veniamus ad veritatem, *Progreſſus in Emaunteem diſcipulis, Chriſtus panem fregit.* Audio. *Hunc panem interpretantur ſancti patres ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti.* Quid tum? *Hìc de calice nulla fit mentio.* Nulla prorſus. *Iamne vides quod ſub ſpe-*

*cie*

*cie panis tantùm Eucharistiam Christus dederit, hijs qui non erant apostoli?* Lynceum te esse oportet, qui hoc videas, nos in Synecdoche panis vtramqué speciem videmus, nisi fortè qui ad commedendum panem inuitauit Christum Pharisęus, siccum prandium sine potu atqué epulis apposuit. Luc. 14. *Sed suffragantur tibi* (opinor) *Bohæmi, qui non ex præcepto, Bibite ex hoc omnes, sed ex Ioannis sexto, Ni manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, priuata authoritate sibi calicem vsurparunt, quod tamen verbum Lutherani, non ad sacramentalem, sed ad spiritualem carnis & sanguinis Christi participationem referunt.* Sed nimis profectò dilutè ratiocinaris, vt modò de pane, (quem panẽ tantum interpretatus es,) qui ex eo colligis, non agnouisse Boæmos, Christi illud præceptum ad laicos extendi, quia alijs etiam rationibus idem euincere voluerint: & ineptè omnino concludis, *Quod Boæmis est expressum, Lutheranis non esse expressum*, quasi non idem ambo senserint, & à spirituali communicatione, ad sacramentalem rectâ analogiâ duci non potuerunt vtriqué, quod & ipse paulò post fateris.

Quomodo autem apud vos laici, sanguinem Christi bibere, dici possunt, qui offulam solam commedunt, immo deglutiunt? *Sed modestiores Boæmi, qui sacrificium non sustulerunt, cum Lutherani omnes velint esse sacerdotes:* Eho Staniſlae! an non sunt omnes Christiani, sacerdotes? quanquam non ideo quia sacerdotes, ad omnes dictum, (Bibite ex hoc omnes) quisquam sanę mentis nisi fortè ioco dixerit. Sed prędara est sententia pij illius (nescio cuius) quem tu citas, *quòd Ecclesia*

*melius*

*melius intelligit, quę sint Christi mandata, & qualiter sint seruanda, quam Hussitæ.* Quid ni? At qualem Ecclesiam mihi narras vestram illam, quę non obstante Christi præcepto, audet quidlibet in sacramentis Christi inuertere. Verùm tibi *satis est, quod cùm sola species panis sumitur, & corpus manducatur, & sanguis bibitur. Cum sic etiam & Cyprianus loquatur, Manducauerunt,* (inquit) *& biberunt, de eodem pane.* Verùm, quid si in mutilo illo & nuper reperto Cyp. sermone, suspicemur deesse voculam vnam (& calicem) id si nõ pateris, durior est tropus bibendi ex pane. Idem tamen adiecit, *Non dentes acui ad mandendum, sed fide sincera panem illum frangi. Et panis est* (inquit) *esca sanguinis, vita, caro, substantia, corpus, Ecclesia.* Si placet ergò Christum panem esse & sanguinem, est etiam per eundem tropum Ecclesia. Sed scitum est, *quod sanguinem etiam edi in scripturis legimus.* Leui. 17. Scilicet, quia coctus crassior est, quàm vt bibi possit, nec enim crudi sanguinis sitis vnquam, (quod sciam) incessit Iudæos. Mirum est autem tibi, quod ex illo Euangelij loco iustitutum suum probare nitantur Boæmi, *in quo neque calicis, neque vini sit vlla mentio, sed solius panis, quem etiam solum ad salutem sufficere verba Christi declarant.* Et cur non potius mirum sit nobis, quod vos toties de sacrificio panis & vini garriatis, cùm nec panem nec vinum in sacrificio vestro vllum restare contenditis? Quanquam autem in illo Ioannis sexto, nulla sit calicis aut vini, frequens tamen est sanguinis & bibendi mentio: & quanquam vinum non sit, potus est. Sanguis (inquit) meus verè potus est. Si tibi licet panem hunc

*Con. Confes. sess. 13.*

referre, ad ſacramentum panis, quem tamen pa-
nem eſſe negas, cur non eadem ratione Boæm
licebit, potum hunc ad vini ſacramentum com-
parare? Quamuis autem manducanti panem il-
lum vita promittitur, non ideò tibi fas eſſe pu-
tes, quæ Chriſtus coniunxit, impia laniena di-
uellere, *vt ſolum panem ad ſalutem ſufficere colligas, ac vitæ promiſſionem non calici, ſed pani factam eſſe*, canino rictu vocifereris, cùm aperta ſint Chriſti verba, Niſi commederitis & biberitis, non habi-
turi eſtis vitam in vobis. Digna verò eſt illa mendacijs & calumnijs plena oratio, qua Sata-
nam compellas, illo & te miniſtro eius, vtcunq; in angelum lucis, ſimulato Eccleſiæ patrocinio, quaſi larua indutus, tranſformare te niteris. *Non laborat Satanas, ſub vna an ſub vtraque ſpecie communices, cùm per Lutherum, Bucerum, & Philippum fateatur nihil de calice ſumendo, tanquàm ad ſalutem neceſſarium præceptum eſſe ſed vt Eccleſiæ ordinationi ſe opponat, &c.* Sed quî ſenſum Satanę tam probè calles? vnde doces Bucerum, Philippum, vel Lutherum etiam poſtquam à Papatus cœno penitus emerſerint, cenſuiſſe nihil de calicis vſu, tanquam ad ſalutem neceſſarium præceptum eſſe? niſi forte eo ſenſu, quo neque panis vſum ad ſalutem neceſſarium aſtruerent, vt infantibus, aut hijs qui vlla neceſsitate arcentur à ſacramentorum externo vſu & participatione? De Baſilienſis, aut etiam Conſtantienſis Concilij decretis, quid ſcire Satanam fingas, quibus ipſe præfuit, noſtra parum intereſt. Quòd verò Lutherum inſectaris, eiuſque verba mutilata, *In deſpectum Concilij* quæ priùs poſueras rurſum aſcribere nō

grauaris

grauaris, res tanti nō est. aut enim cēsuit Lutherus impij Concilij authoritati nihil deferendum in rebus medijs, in quorum numero tum fortè reposuit, vix dum è papismo egressus, vtriusqué speciei participationē, aut (quod magis arbitror) fingebat per cōcessionem, quod adiaphorō esset communicare sub vtraqué specie. *In quo casu, vellet in despectum Concilij quod vtramque statueret, aut vna aut neutra potiri, &c.* Pergis pro satana orator satis disertus, eiusq; mentis interpres peritissimus, cuius consilium nobis exponis, *Non aliud esse, quoties profert ex Euangelio, scriptum est enim, Bibite ex hoc omnes, quàm cùm Christo dixit, Mitte te deorsum, hoc est, vt Ecclesiam quæ firmamentum & columna est veritatis contemnant, & in scripturis interpretandis, plus primato quàm illius iudicio tribuant.* Oportet te valde familiarem esse Satanæ, & intimum à consilijs eius, qui hęc noscas. Sed sit hoc (vt dicis) Satanæ cōsilium: an idcirco Basilienſis aut Constantienſis Concilij decreta, pro Ecclesiæ iudicio admittemus, quæ non solùm manifesto Dei sermoni repugnant, sed à vestris etiam Papis & synodis reijciuntur? Immò, cùm Ecclesia sit firmamentum & columna veritatis, vestram synagogam, quæ infinita mendacia & falsitates, eius sermoni qui sola veritas est, Ioan. 17. contrarias tuetur, nunquam pro Ecclesia agnoscemus. Non igitur verum est quod statuitis, quia apud vos gloriamini esse Ecclesiam, sed quia falsa decernitis, ideo non estis Ecclesia. Et vt falsissimorum dogmatum non longè petenda essent exempla, tute mox suggeris clarissimum. *Si contra ordinationem seu obseruantiam Ec-*

*clesiæ sub duplici specie communices, in hoc solo vitium est, & quidèm tantum vitium, vt omnia flagitia alia cum hoc vno collata, festuca sint cum trabe comparata.* Hæccine tua verba agnoscis? an non rectè de vobis Christus? Irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditionem veſtram: qui iurat per templum nihil eſt, at qui per aurum templi iurat, ingens flagitium admittit. Ita, qui omnia decem Dei præcepta violat, idolôlatres, blaſphem⁹, parricida, inceſtus, ſacrilegus, leuiſsimè peccat: qui verò ex calice laicus biberit, quod Chriſtus iuſſit, Eccleſia Romana prohibuit, omnem impietatem ſolo hoc ſcelere ſuperauit. Non mirum igitur, ſi illorũ religionem deteſteris, *Qui ſe Dei timore & verbi ſaluificantis amore facere dicunt, vt de calice ſibi neceſſariò putent eſſe bibendum, maximè quod per ſexcentos illos à Polonica conuerſione annos, inter patres ac matres eorum, nullus repertus fuerit, qui hac religione ad calicis participationem conſtrictus fuerit.* Atqué hic locus ſatis communis, tibi flumẽ verborum, quo illos degeneres ποταμοφόρητος faceres, abundè miniſtrat, *Immo verò expreſſum Dei verbum contemnunt, Honora patrem & matrem, qui à parentum iudicio in religione diſſentiunt, & Pontificibus Iudęorum ſimillimi ſunt, quibus religio fuit in prætorium ingredi, ne contaminarentur, ſed Chriſtum ad crucifigendum gentibus tradere, nulla fuit eis religio. Quin & expreſſo Dei verbo nitebantur, Nos habemus legem, &c. recte in eos quadrat illud ex Pſalmo, Trepidauerunt timore vbi non erat timor: & illud ex Euangelio, Culicem colantes, camelum glutientes, vt qui timere Deum videri volunt, Eccleſiam vero eius*

*audire nolunt, & corpus Christi mysticum miseris modis dilacerant, atq; dilaniant.* Has omnes calumnias quàm facilè diluunt, qui sibi non aliter parentum vestigijs insistere licere monstrant, quàm quatenus illi diuinis præceptis obtemperauerũt: qui nihil sibi cum pontificibus illis commune esse docent, vt qui non falsò clament se habere legem, cuius prætextu scelus aliquod aggrediantur, sed legi seruatoris Christi obsequentes sunt, quam sine summo scelere negligere non possent. Qui Ecclesiæ vnitate nihil sanctius colendum affirmant, sed ab illo cœtu se iure separant, qui sacra Christi mysteria, quæ ipse coniunxit, impiè diuellunt atqué dilacerant. Libenter quidèm fatentur, quanto se scelere obstringunt, qui ex eo quod Christus voluit esse sacramentum vnitatis, causam dissidij, & materiã diuisionis faciunt: sed omnem hanc culpam in eos meritò regerunt, qui à Christi præceptis tam pertinaciter dissentiunt, à quo sibi ne latum quidèm vnguem discedere licere sciant. *Sed nõ est hoc verbum Christi saluificans, Bibite ex calice: bibit enim ex calice Iudas, & multi Iudæ similes, qui cum eo omnes condemnati sunt.* Quasi qui iussit ex calice bibere, non iusserit etiam dignè bibere. Aut cõdemnatus sit Iudãs, quòd ex calice biberit, sed quòd indignè biberit. Verum tibi plurimum debemus, qui quod sit verbum saluificans, tam breuiter & succictè nobis exponis. *Breue*, inquis, *verbum est & expeditum, A M A.* Scilicet, charitatis dignitatem nemo satis extulerit. At proximum non diligit, qui tam malè de præpositis sentit, vt Dei timore carere potuerint, & qui ab

Ecclesia catholica se separat, patres maioresque ónes impietatis condẽnat,&c. At rursum indigni sunt qui præpositorum locum aut nomen in Ecclesia occupent, qui aliã sibi quàm in domino obedientiam præstari postulant: & fugiendi sunt illi cœtus, quantumuis se speciosо Ecclesiæ catholicæ nomine exornent, qui authoritatem sibi supra Christum arrogant: & à patribus illis & maioribus desipientibus prouocandum est ad Christum, eiusquè apostolos, & antiquioris ac purioris Ecclesiæ patres, immo patriarchas & prophetas. *Sed præclarè ab Augustino scriptum est, Dilige & fac quod vis.* Ita sanè, modo dilectio Dei primũ locum occupet. At Deũ non diligit, quisquis præceptis eius non obtemperat. Hæc est enim dilectio Dei, vt præcepta eius seruemus, 1. Ioan. 4. Impiè igitur à te positum est, & insulsè etiam, *Siue bibas ex calice, siue non bibas, modo in dilectione bibas vel abstineas, iuxta ordinationem seu obseruantiam Ecclesiæ, proficit tibi ad salutem*: quod idem est ac si dicas, Quid Deus præceperit, susq; dequé habeas, modo Ecclesiæ Romanę ordinationi obtemperes. Sed ab hijs descendis ad regis Sigismundi cõmendationem, quem duplici nomine summis laudibus dignissimum esse iudicas: tum quòd verbo Dei parere noluerit, vt ab Ecclesiæ traditione se demitteret: tum quòd authoritatem omnem in causa religionis statuendi, tanquàm à sua persona alienam, ad Oecumenicum Concilium, aut saltem apostolicæ sedis iudicium reiecerit. At omnium piorum iudicio, plus veræ ac sempiternæ laudis meritus esset Sigismundus, si Christo potiùs quàm Romanæ

Ecclesiæ

Ecclesię audientiam pręstitisset, & impositam à Deo regię personæ religionis procurationē non abiecisset: sed sanctissimorum regum ac imperatorum exemplo, & suscepisset libenter, & fideliter exequutus fuisset. Nec quæ sunt propria sacerdotum ac episcoporum (sicut tu calumniaris) vsurpasset, si vt Dauid, Solomon, Ezechias, Iosias, Constantinus, Theodosius, Valentinianus, Iustinianus, alijquè quàm plures, sacerdotibus atqué episcopis, ad Ecclesiam, iuxta Dei legem, erroribus ac peruersis cultibus perpurgandam, sua authoritate præiuisset. *Fateris autem in Oecumenico Concilio calicis vsum permitti laicis rectè posse.* Itanè? quod solis sacerdotibus Christus tradidit, audebit Concilium laicis permittere? At Christus etiam laicis permittit calicis vsum. Et ausum est Concilium Constantiense prohibere quod Christus permisit? Quid ni? Omnis enim Christi pręceptorū authoritas pendet ab Ecclesię interpretatione. Nulla verò ratione sine concilij authoritate, magnus modò charitatis ac vnitatis patronus, permittendum cēses calicis vsū, quantumuis vnā hanc esse viā quidèm existimēt, qua tātis illis religionis dissidijs mederi liceat. *Patres enim non permissionibus, sed cōstitutionibus contrarijs, hæreses extinguendas esse putauerunt.* At te ipso iudice hæresis non est, ex calice velle bibere, ꝙ rectè ex concilij authoritate permitti posse tute modo dixeras. Quàm iniquè igitur abs te confertur hæc eorum postulatio, cum Nestoriano dogmate, impio & blasphemo, quod nullius Concilij authoritate vnq̄ permitti debuit? Aut cum trina immersione, quod apud hæreticos

ſymbolum erat non diſtinguendę ſed diuidendę ſacrę triados, aut deniq; cum Ebionitarũ azymo, qui abrogatos Moſaicæ legis ritꝰ, tanq̃ neceſſarios exigebãt. Hic verò de Chriſti præcepto inviolatè ſeruando, & inſtitutione cœnę perpetuò retinenda, non de impio aliquo dogmate profligando, aut adiaphoris quibuſdã ritibus vel tolerandis vel abrogandis, cardo quęſtionis vertitur. Hæreſi nihil indũlgeri velim, quin radicitùs extirpetur, cæremonias etiam ad Dei cultum nõ neceſſarias, quæ vel ſpeciem aliquam hæreticorum moris ac conſuetudinis præſeferunt, tutius exiſtimo cum patribus Toletani Concilij tolli prorſus, quàm tolerari. Sed nunquam euinces, non inquam ſi te ruperis, vt vel hęreticum ſit ex calice Domini bibere, aut medius aliquis ritus ab hæreticis vſurpatus, quod à domini ipſius inſtitutione atqué mandato profluxit. *Sed multitudini impia flagitanti nihil concedendum iudicas*, idqué pluribus quàm neceſſe eſt declaras. Sed an impium eſt, quod & iuſſit Dominus, & Eccleſia prima obſeruauit, & tute rectè concedi poſſe fateris ab Oecumenico concilio? *Deo* (inquis) *magis obedire oportet quàm hominibus*. An Deo magis obtemperant, qui negant laicis, quod vel ille imperauit, vel ſaltem veſtro iudicio permiſit faciendum, & vrgent tantopere, quod homines in Concilio Conſtantienſi aut Baſilienſi ſanciuerunt, quos vos etiam in eiſdem ſynodis, vt homines turpiſsimè erraſſe fatemini. Adeo omnia vobis inuertere ludus eſt, Deum, homines, cœlum, terram, verum, falſum, modò ſarta tecta retineatur Eccleſię Romanę ſacroſancta dignitas

&

& authoritas. *Sed vos etiam Episcopos religionis duces millies mortem oppetere præstat, quàm semel Christum negare, & Christum negat qui vnitati Ecclesiæ non communicat: cùm Christus caput sit & corpus. Absit igitur ab Episcopo vt multitudini aut magnitudini separationem ab Ecclesia Dei petenti assensum suum præbeat.* Quasi verò separationem ab Ecclesia Dei petant, qui sacramenta Ecclesiæ ex pura Christi institutione sibi administrari postulent: aut vobis Episcopis religio sit, vnitatem illam Ecclesiæ vestræ scindere, quoties non dico, vitæ periculum adeundum sit, sed dignitas vestra periclitatur, & seculi huius pompæ ac voluptates vobis adimendæ timentur. Testentur hoc tam multa schismata, nō solùm inter pontifices Romanos, sed alios etiam Archiepiscopos, & inferioris ordinis Episcopos, & Abbates, nec semper de summa dignitate, sed de leuissimis etiam titulis ac prerogatiuis. Dehinc Sigismundum laudas, quòd nescio quid in regni eius primordijs non concesserit, quod ad separationem spectaret, & nunc eandem constantiam ei optas, vt publicæ etiam tranquillitati nihil dandum censeas. Certè, si de Dei optimi maximi precepto violando ageretur, frustrà obtenderetur publica regni tranquillitas: iam verò, cùm diuini mandati obseruatione publica pax sequutura prædicetur, non omninò respuendum est publicæ trāquillitatis argumentum. *Sed tu nullam fore calice concesso tranquillitatem vaticinaris*; fortè quia ad turbas mouendas ipse paratior sit, quàm ad sedandas discordias: & prestare putas, vt errata quędam legumlatorum & magistratuum tollen-

rentur, quàm vt errore correcto assueſcant homines magiſtratui non parere, aut ſubinde leges mutare. Vt tibi demus hoc in republica locum habere, at in Dei cultu nullo modo admittendum ſit, vt cuiuſquè tranquillitatis prętextu, vel latum vnguem, à diuinis oraculis diſcedatur. Sed & grauius quiddam times, quod te etiã experientia timere docuit, nè qui nunc ſolum calicem petant, poſtea in eo acquieſcere nolint, eorum exemplo, qui principio calicem tantum poſtulabant, poſtea confeſsionem Auguſtanam integram amplexi ſunt, mox ea reiecta Picardicam, proximè verò Geneuenſem, quam à Geneuenſi nihil differre aſſeris, & fortaſſe poſtea ad Suenkfeldium inclinabunt. Immo terram *aliquam tibi oſtendi vis, in qua cum calix ſemel priuata libidine vſurpatus ſit, non exemplo multæ aliæ, & quidẽ horribiles ſubſequutæ ſunt hæreſes, vt in Boęmia, & Moravia. Immo ſataniſmus hic omnis in Germania, à calice ſumpſit exordium. Calicem igitur dicis eſſe primã tenuiorem partem exitiabilis cunei, qui ſemel in lignum impactus, aditũ facit ſequenti craſſiori impietati, quam eſſe Auguſtanam confeſſionem vis, qua totum tandem lignum penitus diſcindatur.* Sed vide interim quò te rapuit tuus timor in apertã blaſphemiam, vt dominicæ inſtitutionis calicem, exitiabilem cuneum omnis impietatis appellare non verearis. Quo minus miramur, ſi authores Auguſtanæ confeſsionis, infinitis calumnijs oneres, *Qua & ſacerdotium & ſacrificium vobis abroganit, ac Deum ipſum in ordinem coegit*. At tamen mirari ſubit, quomodo in ordinem cogatur Deus ab Auguſtana confeſsione. Reſpondes, nullus vt ei præ

cæteris

cæteris mortalibus excellentior honos haberetur. Os durum! hoccine vel per somnium voluit Augustana confessio? An potiùs papistica, quæ omnem Dei honorem non diuis modo, sed truncis etiam communem facit. *Sed crassior adhuc subsequuta est Tygurina & Laskana confessio, quę duo, quæ vobis reliqua fecerat Augustana confessio, sacramenta sustulit, Eucharistiam & Baptismum*. Ecquis hæc mendaciorũ portenta, vel fando audiuerit, inter Tygurinos & Laskanæ confessionis Polonos? Ecquis Lutheranos in doctrina Baptismi aut Eucharistiæ, vnica presẽtia corporali excepta, aut reprehensos, aut idolôlatrię damnatos cum Papistis, vel auribus accepit? *Sed venit ad extremum Suenkfeldius, qui & scripturas omnes, & externũ omne ministerium sustulit, & sacramentarios Lutheranos cum Papistis idolôlatriæ reos fecit, qui conuersi ad egena mundi elementa, hoc est, ad scripturas canonicas, ex illis salutem peterent.* Immeritò sanè Papistas, qui nec ad scripturas canonicas conuertuntur: sed ab illis ad Apocryphas, & incertas patrum suorum traditiones auertuntur, nec ex illis salutem petunt, quas verbum esse saluificum constanter negant: cum Hosio nullum aliud sit verbum saluificum, præter illud breue & expeditum, A M A: Bibite in remissionẽ peccatorum nõ sit, nec quicquam quod ab Ecclesię ordinatione seu obseruantia alienum sit. Diligenter igitur caues, ne vllo modo cuneus iste calicis dominici, in lignum vestri idôli Romani impingatur, ne quod in Germania, cùm interim illud decerneretur accidit, & in Polonia euenit, vbi calix per summum sacrilegium vsurpatur, omnia vestræ

religionis fundamenta pessum eant & disrumpantur. Sed(oro te)cur calicem dicis per summum sacrilegium vsurpatum? an quia hoc veruit Ecclesia? at iussit Ecclesię caput & Dominus. An sacrilegium summum est obtemperare Christo, & pietas est eius mandatum negligere? *Quin & laici sibi sacerdotalia munera arrogant.* Fortasse vobis laici sunt, quàmuis ab Ecclesia legitimè electi & ordinati fuerint. Et hi potestatem conficiendi corporis Christi nunquam illis data non habent. At quis tandem, quibus verbis vobis dedit illam potestatem conficiendi corporis Christi? Non si corpora vestra studio conficiatis, vnquam è scripturis docebitis vllam vobis conficiendi corporis Christi potestatem fuisse concessam. *At non cuneus modò exitiabilis est calix, sed & præcipitium, & foramen in aggere apertum, quo perrupto, tota hæresĉon, quasi aquarum moles, incumbit, omnemq; agrum longè latèq; inundat. Non magis igitur concesso calice, cæteræ hæreses arceri possunt, q̃ cuneus impacta acie ne discindat, quàm qui se præcipitem semel dedit è turri, sustinere se ruentem potest, quàm deniq; foramine in aggeribus facto, impetus irruentis Oceani prohiberi queat.*

Nam in Concilio nulla spes est, cuius in despectum contrarium facere licebit, nec cõmitiorum vlla erit reuerentia, vbi Conciliorum authoritas tam vilis est, vbi hoc agitur, vt simus sine lege, sine rege, sine sacerdotio, sine sacrificio, sine sacramentis, sine Deo, sine vnitate. Scilicet hoc agitur ab illis, qui calicis dominici vsum, iuxta sanctissimam ipsius ordinationem postulant: quotquot enim à vobis discesserunt, *Magna*

*ex parte vel Picardi sunt, vel Caluiniani, vel Laskani, aut Nestoriani, aut Seruetiani.* Et qui apud vos manent, sumant opinor Hosiani, aut Pighiani, aut Eckiani. Si qui autẽ in Nestorij, aut Serueti impietates delapsi sũt (vt nõ sunt multi Deo sit gratia) ij non multo deteriore sunt loco, q̃ cùm in gremio antichristianę Ecclesię vestrę latuerunt. Sed insurgis satis stomachosè in Petrum, Paulũ Vergerium, quondã Episcopum, Varmiensi non ignobiliorem, nec à rubro galero longè remotum, nisi Dominus eius misertus, ex illis tenebris in lucem Euangelij ipsum eduxisset. Hunc primùm acriter insectaris, ꝙ nescio quas literas ad quosdã scriptas typis euulgauerit. Hoc q̃ fuerit amici officium, non refert, modò Christiani hominis officium in eo præstiterit. Nec solus Vergerius, nec primus literas ad quosdã scriptas, excudi fecit, si quid in eis esset, quod omnium scire interesset. Alterum accusationis caput est, quod nullas medias conditiones de calice, de coniugio sacerdotum, de lingua populari admitti voluit, sed semel omnem Papatum, hoc est antichristianismum è medio tollendum censuerit. Hoc vtcunqué Papistis arrideat, certè Christiani omnes ardentissimis votis exoptant, suiqué muneris esse fatentur, vt pro se quisqué adlaboret. Non vt Deus in ordinem cogatur, sicut tu impiè calumniaris, sed vt Deo sua in solidum constet gloria, à vobis Papistis impiè prophanata, & pedibus tantùm non conculcata. Vos enim, vos (inquam) impuri canes, quod in vobis est, Deum in ordinem cogere satagitis, qui satanicis vestris decretis, sacratissimę illius institutionis

onis

bnis preçepta ſubiacere omninò aſſeritis. Qui non aliter quàm ſi vos permittitis, q̃ Deus iuſſit, laicos è calice bibere ſinitis, & infinita eius generis nefanda admittitis. Malè te vrit, vtcunq; diſsimulas, quod Vergerius religionis Chriſtianę cauſam, nullam pati poſſe moderationem aut concordiam cum Papiſtica poſſe aſſerit, nec aliam eſſe veræ Eccleſiæ Chriſti ſtabiliendæ, & concordiæ incundæ rationem, quàm ſi vniuerſus Papat⁹, cũ omni ſua tyrãnide & impia doctrina, tollatur è medio. Veriſsimè tamẽ eum ſcribere affirmas, quòd religionis cauſa moderationem aut concordiam pati non poſsit, nec tibi placet in vtramqué partem claudicatio, aut totum Lutheranum, aut totum Papiſtã eſſe vis. Qui enim non credit Eccleſiam ſanctã catholicam, etiamſi cætera credat omnia, nihilominus non eſt ei cum Chriſto capite quicquam cõmune, qui ſe à corpore eius ſeparauit. Hoc quoties tibi Lutherani cõcedunt, toties Romanę ſynagogę eccleſię dignitatem adimunt, nec vobis quicquam commune eſſe dicunt cum corpore, qui auulſi eſtis à capite. Futilis & inanis eſt hæc rixa, de Eccleſiæ titulo. Aut vos Eccleſiam tenere, vt Auguſtinus inquit, non niſi ex diuinis ſcripturis oſtendite, aut faceſſat hæc tam inepta & puerilis de Eccleſiæ nomine gloriatio, apud vos nihil minus ſit quàm Eccleſia. Sed pertinacię crimen diluere paras. Chriſtianorum, orthodoxorum, & Baſilij exemplo, qui ne iota vnum Arrianis concordiæ gratia concedere volebãt. At quàm longè ab eorum conſtantia, veſtra receſsit arrogantia. Illi nec apicem de Chriſti ſeruatoris dignitate diſcedere

cedere patiebantur, vos quantam ei contumeliam irrogatis? qui quod ille tradidit sanguinis sui Ecclesiæ symbolum, populo sanguine ipsius redempto, non minus superbè quàm violenter eripitis. *Sed nec Lutheranorum & Zuinglianorum cõtroversia, concordiã vllam admisit.* Hìc tu fingis Bucerum & Lutherum, alterum in alterius gratiam quędam concessisse, vt melius coiret concordia. Nec pudet te etiam Caluino detrahere, quod nõ aliam Christi prędentiam in cœna, quàm in baptismo & pœnitentia docuerit, cùm de toto illo negotio quid senserint omnes, eorum scripta abundè mundo testentur, ne tibi calumnianti fidem adhiberi ab æquis saltem lectoribus putes. *Quin & inter Lutheranos & Papistas, quoties de concordia actum est, totiès frustra labor insumptus. Hoc satis manifestum fuit, cùm interim religio constitueretur: tunc enim Lypsenses, tunc Wittembergenses, tunc Saxoniæ ciuitates faces addente Flacco Illyrico suo, diuersa senserũt ab eo, quod omniũ ferè in cõmitijs imperij iudicio approbatũ fuerat. Et ipsi etiam Lutherani, alij Flaccum, alij Philippum sequuti, in diuersas partes abierunt, & acerbas contentiones etiam de rebus minimis, vt de alba veste, aliisq; mediis ritibus exercuerunt.* Ex hijs, & quidèm rectè colligis, aut totum Papatum simul euertendum fuisse, aut totum perpetuò retinendum, vt coiret solida inter dissentientes partes concordia. Subscribis igitur non inuitus Vergerij sententiæ, quòd causa quę de religione controuertitur, minimè possit moderationem & concordiam pati: sed hoc tibi prorsus indignum videtur, quod tanto studio Papatum euersum cupiat, *Cum Lutherus ipse fateatur,*

(cuius

*(cuius verbū Vergerius, si tibi credimus, tanq; Dei verbū adorat,) sub papatu plurimū esse boni Christiani, imo omne bonū Christianū: atq; etiā illinc ad nos deuenisse. In Papatu veram esse scripturā, verū baptismū, verū sacramentum altaris, veras claues ad remissionē peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum vt sunt oratio dominica, decem præcepta, articuli fidei; insuper sub Papatu veram Christianitatem, immo verū nucleum Christianitatis.* Hæc quidèm scripsit Lutherus, sed aduersus Anabaptistas, qui nihil cum antichristo commune habere, videri volebant: eodem sensu aut persimili, quo se Paulus Pharisæum dixit & Pharisæi filium. Non potuit antichristus abolere verbum Dei, quod satis habuit sibi subijcere, fidei confessionem, baptismum, & quæ sunt eius generis retinuit, vt specie aliqua Christianitatis sese mundo venditaret. *At Lutherus fatetur omne bonum Christianum, à Papatu ad nos deuenisse.* Quid tum postea? libri sacri reperiebantur inter Papistas, in quibus omne bonum Christianum continetur: an idcirco propria hęc erant Papatus? minimè gentium. *Sed agnoscit etiam veram Christianitatem, & nucleum etiam Christianitatis esse sub Papatu.* Rectè: sed in Papatus sordibus, aut penè aut penitus demersam. Qui igitur Papatum vniuersum euerti cupit, ea tollenda censet, quæ propria sunt Papatus: non autem illa quę Papatus, tanquàm latro, ab Ecclesia Dei furto sublata vsurpat, sed illa potiùs tanquàm ab iniustis possessoribus eripi, & Ecclesię cuius est bonorum istorum proprietas restitui. Ineptè igitur Luthero sacramentarios, & Anabaptistas, illis cœlestes prophetas, hijs Campa-

nos

nos & Seruetos adiungis, quod ſemel atqué iterum prius feciſti, vt omnem ab Euangelij profeſſoribus tolli Chriſtianitatē oſtenderes. Quò ſpectant etiam querelę de calice primùm conceſſo, inde quinqué ſacramentis abrogatis, tum ſacrificio & ſacerdotio ſimul euerſo, tandem baptiſmo & euchariſtia ſublatis, poſtremò ſcripturis ipſis & Chriſti diuinitate ereptis, quæ partim meræ ſunt calumnię, vt de baptiſmo & Euchariſtia ſublatis, partim iniquæ ſunt querimonię, vt de ritibus, quinqué ſacramentis, ſacerdotio veſtro & ſacrificio abrogatis, partim ad hoſtes Euangelij referēda ſunt, vt ſunt ea, de ſcripturis & Chriſti diuinitate ereptis. Sed magni momenti eſt, quod de obſcuriſsimis quibuſdam hominibus Iacobo Schenk, & alio neſcio quo Francofortano, ex Eraſmo Albero narras, quorum hic noluit feſtum natalis Chriſti agere, ille in feſto paſchatis, noluit de reſurrectione cōcionari, ſed de paſsione. Si mihi otium eſſet non fabulas, ſed hiſtorias perſequi, non homunculorum, ſed pontificum & Cardinalium, annon hijs multo grauiora flagitia, vel te iudice adferre potuiſſem. At firmum eſt, quod ex eorum pertinacia, & prępoſtero ſtudio colligis, *Maluiſſe eos omnem memoriam beneficiorum Chriſti aboliam, quàm vt cum hijs qui Papam agnoſcunt, eam celebrarent.* Quaſi non aliter retineri poſsit memoria beneficiorum Chriſti, quàm in feſtorum dierum celebratione, ac non multo melius verbi prędicatione, quam tu quoqué Francofortano illi, non negas fuiſſe curę. At Vergerius euerſum cupit Papatum, vt gubernatore ſublato, atrociùs atqué

què violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſe-
tur. *Neq; enim aliundè obortæ ſunt hæreſes, ſicut Cypri-
anus ait, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſa-
cerdoti Dei non obtemperetur, nec vnus in Eccleſia ad
tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogi-
tatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret
fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum collegi-
um quicquam moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt
populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum, iudi-
cem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret, nemo diſſidio
vnitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens
& tumens, ſeorſum foris nouam Eccleſiam conderet.* Hic
locus Cypriani magnum tibi videtur propug-
naculum Papatus aduerſùs hæreticos, cùm tamẽ
non magis pro Papa, immo multo minus, (ſi
Cypriani mentem ſpectemus) q̃ pro Varmienſi
Epiſcopo faciat: q̃ luce clarius eſt hijs qui totam
epiſtolã perlegerint, vbi de ſua authoritate à Ba-
ſilide & Martiale neglecta quęritur, nõ de Ro-
mani pontificis dignitate, ſupra omnes homines
cõcionatur. Quod igitur de diſciplinæ Eccleſia-
ſticę cõtemptu ſcripſit Cyprianus, q̃ iniquũ, im-
mo q̃ inſulſum eſt, ad Papatus authoritatẽ ſta-
biliendam trahere. Cùm ſatis conſtet tam ex ip-
ſa Epiſtola, quàm ex alijs eius ſcriptis, Cypria-
num non aliam tribuere Romano pręſuli dig-
nitatem vel authoritatem, præter eam quam ſi-
bi etiam competere inter ſuos iudicet. De Petri
verò primatu quid ſenſerit, vnde fundamentum
omne Papalis eminentię, indicat locus ille in li-
bro de ſimplicitate prælatorum: *Hoc erant vtiq;
& cæteri apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prę-
diti, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate*

pro-

*proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.* Simile est quod ex Hieronymo contra Luciferianos profers, *Ecclesiæ salutem à summi sacerdotis dignitate pendêre, cui non exors quędam, & ab omnibus eminens datur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes.* Sed adiungere debueras quæ proximè sequuntur, *Inde venit vt sine chrismate & Episcopi iussione, neq; presbyter, neq; Diaconus ius habeat ministrandi.* Ex hijs enim verbis satis liquet, Hieronymum non de vniuersali Ecclesia, & pontifice Romano, sed de particulari vnaquaquè, & eius Episcopo disertè loqui. Quàm verò magnificè senserit de Romana Ecclesia, eiusquè pontifice, satis testantur quę scripsit Euagrio. *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter nõ faciat? Ne altera est Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunq; fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, Alexandriæ, siue Tanis: eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum, omnes apostolorum successores sunt. Sed dicis, Quomodo Romæ ad testimonium Diaconi, præsbyter ordinatur? quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem?* I nunc, & Hieronymum in castra tua transfer, vt pro Papatus dignitate vobiscum militet, qui Eugabinum Episcopum Romano exæquat, qui Romanæ vrbis consuetudinem vniuersæ Ecclesię debere præscribere negat.

Quid igitur ex hijs colligere vis pientiſsimum regem, quàm te dum Vergerij famam calumniando lædere ſtudes, veterum ſcriptorum eſſe falſarium, & recentium calumniatorem. Quàm enim putrida ſit illa tua calumnia, qua regum & Cæſarum nomen tam odioſum eſſe fingis, hijs qui Euangelium ſunt amplexi, vt ἀναρχίαν quandam induci cupiant, ſi non quotidianæ illorum conciones de obedientia principibus pręſtanda, nec ſcripta eam in rem volumina librorum ſatis oſtendunt, at continuata ſaltem & corroborata magiſtratuum omnium authoritas, per tot ānos, ac in tam diuerſis regionibus, illis tacentibus, pleno ore clamitant, tequé impudentiſsimi mendacij reum publica fide teſtantur. Sed mirabilis eſt illa tua facetia, qua Paulum Vergerium petulantiſsimis priùs verbis cæſum, nouo ſcommate excipis, ſcurra melior quàm Epiſcopus, quòd ſe exulem Ieſu Chriſti profiteatur, quia nihil (ſcilicet) ei cum Chriſto ſit commune. Ita tua eloquentia idem erit exul Chriſti, & exul à Chriſto. Oro te Cicero Varmienſis, quî minùs licuit Paulo Vergerio, ſe Ieſu Chriſti exulem profiteri, quàm Paulo apoſtolo ſe Ieſu Chriſti vinctum dicere? Scio, non placet homini elegantiæ magis quàm pietatis ſtudioſo, formula loquendi à ſpiritu ſancto vſurpata. *Extorrem vis eſſe è regno Poloniæ, qui ſe ipſe fecit exulem Ieſu Chriſti*, hoc eſt qui ſponte pro Ieſu Chriſto exilium amplexus ſit voluntarium. *Qui vtcũq; in alijs rebus à cęteris diſſidet, in hoc tamen cum omnibus hæreticis conſentit, quòd vniuerſum*

*sum Papatum è medio sublatum cupis. Ea tamen est hominis ruditas & insciuia, vt si ex loculeio illo quęrat, quam Iesu Christi doctrinam profiteatur, non habiturum arbitreris quod respondeat.* Bona verba venerande pontifex: fuit is olim, quem nunc velut ex alto despicis, vestri ordinis atqué loci Episcopus. Vos ne locutuleios, homines rudes, & insciros, etiam ad Episcopatus culmen euehitis? an potiùs soli sapitis, soli omnia scitis, dum in sublimi pontificatus cathedra aurea mitra redimiti fulgetis? Præterea, summæ inconstantię hominem notas, quòd modò harum modò illarum sit partium, & modò cum Zuinglianis, modò cum Lutheranis, modò cum Picardis, tibi facere videtur. Ab Augustana professione abhorrere vis, quòd Brentij confessionem admiretur, quem tu impudentissimè mentiris, Osiandri dogma de iustificatione comprobare, quod non Wittembergenses solùm doctores, cum Flacco & Merlino, sed pij omnes, quotquot Euangelium sincerè profitentur, damnant & detestantur. Putidissima est igitur illa calumnia & malicioſissimè adhibita, qua Vergerium quãlibet inuitum, in Osiandri castra trahere conaris. Nec odium in Vergerium dissimulare potes, quia is nullam concordiam admittat, nisi per quam, non vitia Papatus, quod ferri tamen possit, verùm ipse Papatus vniuersus euertitur, hoc est, Christianismus omnis aboletur. Quid audio? Laborat etiam Papatus suis vitijs, & tamen est omnis Christianismus? At cur nõ ipsi, si quidèm vlla Papatus vitia agnoscitis, sponte ac libenter corrigitis? Quod cùm non solùm neg-

lexeritis hactenùs, ſed craſsiſsimas etiam corruptelas defenditis, quis non videt, vos potiùs de Chriſtianiſmo omni abolendo ſtatuiſſe apud vos, ſolo Chriſti nomine retento, quàm Vergerium, aut Lutheranos, qui hoc vnum contendunt, vt omnis ſalutis ac redemptionis noſtræ gloria, ſoli Chriſto eiuſqué meritis aſſeratur. Sed iam tandem aliquando ex longa digreſsione, quæ quartam fere partem ſiue Epiſtolæ, ſiue libelli occupauit, quaſi ex Endymionis ſomnio euigilas, & ad ſermonem de expreſſo Dei verbo, de quo inſtituta erat oratio, recurris. Et docuiſſe te dicis (quod nemini fuit neceſſe diſcere) hæreticos non minùs quàm orthodoxos, quandoqué etiam magis, de ſcripturę authoritate fuiſſe gloriatos. Sed quòd ſcripturæ tamen authoritate ſemper conuicti ac damnati fuerint, id prorſus tacuiſti. Demonſtraſti porrò (ἀποδεικτικῶς ſcilicet) vobis nullam eſſe cum expreſſo Dei verbo, ſed cum interpretationibus noſtris pugnam: quaſi non multa ſint in ſcripturis tam clara & perſpicua, vt nulla interpretatione apud homines mentis compotes egeant, in quibus tamen pertinaciſsimè à nobis, immo à ſpiritu ſancto diſsidetis. Vt in præcepto tam de faciendis ad cultum, quàm colendis Dei & hominum ſimulachris, de calice ſumendo ab omnibus, de cibis & coniugio prohibendis, alijſqué eius generis. Quaſi etiam interpretationes noſtras ex veterum Eccleſię doctorum ſcriptis non hauriamus, aut quod tutius eſt, ex ipſis ſcripturis, quæ ſe ipſas, vbi obſcurę ſint, locis clariorib⁹ interpretantur. Quaſi

multa

multa etiam à vobis non sint inuecta, quæ nulla scripturarum authoritate nitantur, & de scripturarum interpretatione ad ea stabilienda non possit esse controuersia, sed sola traditione (vt vestra est oratio) commendantur.

Præter hæc ostendisse te gloriaris, quòd vos omnes scripturas canonicas recipiatis, nos verò illas non recipiamus, cùm nobis scripturas subijcere conemur. Scilicet vos omnes canonicas scripturas recipitis, sicut olim Arriani, alijqué hæretici complures. Et cùm nullum earum sensum, nisi qui Romanæ curiæ placuerit admittatis, quantumuis habeat Iustinum, Tertullianum, Originem, Augustinum, Chrysostomum, aut quemuis alium veterum suffragatorem, immo, licèt habeat omnem vetustatis consensum, & quod multo maius est, licèt spiritum sanctum habeat authorem, quod alijs scripturæ locis demonstrari potest, luce clarius est, vos vobis scripturas subijcere, cùm non de vocibus, sed de sensu, omnem esse disceptationem tute sæpius asseruisti. Quare, putidum est nimis, quod nos communem totius Ecclesiæ sensum & consensum dicere & sentire garris, & postulare, vt nostri cerebri inuenta, tanquam Dei verbum adorentur, ꝙ vobis nõ aliud quàm germana quędã idolôlatria habetur. Ita penes vos solos tota erit Ecclesia, eiusqué sensus & consensus omnis: & quod vobis adlubuerit, germana erit scripturæ interpretatio, quantumuis verbis sensuiqué spiritus sancti repugnans. Prohibet scriptura, ad religionis vsum simulachra fieri, aut coli, vtrunqué vos ex Ecclesiæ sensu & consensu iubetis.

Cur non eadem ratione,& plures Deos coli,adhibita aliqua interpretatione primi præcepti, imperatis? Nec video, cur minùs liceat in primum mandatum,quàm in secundum.Sed operę pretium est audire causas, propter quas nobiscum consentiri non posſitis. Cogunt vos scilicet dissentire seueriſsima Dei mandata. Quænam verò? Respondes, Si quis vobis euangelizaueritpræter id quod accepiſtis,anathema ſit. Item, Si quis dixerit blaſphemiam contra ſpiritum ſanctum,non remittetur ei. Item,Fugite idôla. Seueriſsima ſanè mandata, ſed ſingula expendamus: & quæ ſunt harum ꝓpoſitionum aſſumptiones,videamus.Nos aliud euangelizamus prę ter id quod accepiſtis? ô mirabile Epiſcopi acumen!Sed oro te,an aliud euangelizamus,præter id quod Galatæ à Paulo acceperunt? ſi ais, oſtende quidnam: ſi non potes, pudeat te vanitatis, niſi frontem ad omnia crimina perfricuiſti. Porrò, nos dicimus blaſphemiam contra ſpiritum ſanctum,horrendum eſſe.Sed pernegamus, qua ratione nos tanti ſceleris coarguis. mutus es, nec enim verbum aut ſyllabam adijcis, quæ id vel ſuſpicari quiſquã de nobis poſsit. Sed tibi pontifici,nunc etiam cardinali, vel accuſaſſe ſatis eſt.At poſtea neſcio quid ex Damaſo proferes. Interim, quo argumento nos pro idôlis traducis? Quia (inquis) tanquam idôla quædam à vobis adorari contendimus. In hoc tanquam prę cipuo controuerſiarum omnium capite,à vobis diſſentiamus, quòd hoc tibi quis credat de nobis, qui Deum ſolum adorari debere aſſeueramus,qui nos vbiqué homines eſſe confitemur,

&

& quòd humanum eſt errare, falli, decipi, in nos cadere poſſe non inficiamur, quod in veſtrum pontificem, idôlum dico Romanum, congruere poſſe negatis, quemadmodum & hominis ei appellationẽ aliquam detrahitis, iuxta illud, Nec Deus es, nec homo, quaſi neuter es inter vtrumqué: interdum etiam & Dominum Deum veſtrum, & Deum ſupra omnes Deos appellare non erubeſcitis. Sed Catonis etiam riſu dignum eſt ſpectaculum, vt inſurgas, vt criſtas erigas, vt inſultes nobis, quaſi mortuis, quòd particulam quandam Athanaſiani libelli, de incarnatione Chriſti, à Cyrillo citatam tuo ſcripto inſerueris, eamq; contra nos totis viribus contorſeris. Quid verò aliud Athanaſius, quàm & nos omnes etiã fatemur? *Qui prẽter hæc è diuinis ſcripturis alium eſſe docet filium Dei, & alium qui ex Maria adoptatus eſt in filium, ſicut vos: vel ſi quis Domini noſtri carnẽ ſuperne dicat, & non ex Maria virgine, vel vniuerſam diuinitatẽ in carnẽ, aut confuſã, aut mutatã: vel paſſibilẽ Domini deitatem: vel inadorabilem Domini noſtri carnem, vt hominis: hunc anathe matizat ſancta & catholica Eccleſia, obtemperans in hoc diuino apoſtolo dicenti, Si quis vobis euangelizauerit prẽter id quod accepiſtis, anathema ſit.* In hoc Athanaſij teſtimonio, ſupra modum tibi placet: quòd ſi quis etiam è diuinis ſcripturis, illa quę protulit capita, docere conatus eſſet, eum anathematizari dicat à ſancta Eccleſia catholica. Deinde, quòd Pauli authoritate anathematizari debere cenſeat, ſi quis ex diuinis ſcripturis docuerit. Sed reprime pauliſper ſi potes inſultus tuos, & animo ab his motibus ſedato, expende mecum, ſi non illa quæ protulit

capita, satis clarè & apertè expresso Dei verbo & diuinarum scripturarũ authoritate, cõprobata & determinata sint. Qui igitur diuersa ex scripturis sanctis impiè detortis docere nititur, quid aliud quàm spiritum sanctum sibi repugnantẽ ostendere conatur? Meritò itaquẽ hunc ex authoritate apostoli anathematizat Ecclesia, vt qui aliud à vero, etiam sub Euangelij nomine, Euãgelium introducit. Non itaquẽ quia in concilijs definita, aut per manus tradita fuerint hęc doctrinę capita, asserenda tam constanter dicit Athanasius, quantumuis tibi in bella hac insultatione tua applaudas: sed quia ab Apostolis, testibus omni exceptione maioribus, ex Dei mandato & scripturę consentientis authoritate semel accepta, non possint, etiamsi diabolus conetur maximè, ex scripturis aliter demonstrari. Similis est insania, quòd Caluini etiam interpretatione, causam tuam stabiliri putas, quòd moneat verum esse Euangelium, quod Galatæ sibi traditum ab apostolo semel amplexi essent, quodq; aliud Euangelium nominet, cui aliena commẽta asuuntur. Non vult inquit Caluinus quantumuis hæreticus, ignotum Euangelium recipi, verùm quod nobis traditum est, quod amplexi pridem sumus. Atqui quod nunc vocatur Euãgelium, & expressum Dei verbum, id cùm heri (quod aiunt) & nudius tertius in lucem prodierit, patribus nostris prorsus ignotum fuit. Quasi verò, vos traditum ab apostolis Euangelium retineatis, ac non mille commenta aliena assuatis. Vt reliqua õnia taceã, quo euangelio ab apostolis accepto, imagines esse adorandas edocti estis?

Aut

Aut quasi nos quod vocamus Euangelium tum ex apostolorum scriptis canonicis, tum etiam ex patrũ orthodoxorũ, per quadringentos amplius annos à Christo sententijs, plus centies non cõprobauerimus. Nec tibi Hieronymus quicquam adiumenti adfert, nisi & fidem apostolicis scriptis laudatam, puer imbibisses; quam senem retenturum te profiteris. Sed caue, ne dum in alios anathema tanto spiritu detonas, tute apostolicum anathema eo ipso incurras. Si quis vobis aliud euangelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit. *Hoc est* (inquis) *si venerit Lutherus, Caluinus, aut Philippus, & alio sensu vobis prædicauerit Euangelium, quàm quem à sanctis patribus accepistis: si quid ab eo diuersum annuntiauerit, quod ab illis traditũ habetis, anathema sit.* Vide (inquam) immo etiam atqué etiam vide, si Paulus de sensu patribus nescio quibus, quamlibet sanctis placito, & illorum traditionibus, an de Euangelio à se prædicato, eiusqué sensu vniuersæ scripturę consono dicat, quod acceperunt Galatæ. Alioqui, si quid ab hoc Euangelio alienum, Caluinus, Lutherus, Philippus, Hosius, Eccius, Pighius, Episcopus, Cardinalis, Papa, concilium quamlibet Oecumenicum, pro Euangelio obtrudat, sit anathema maranatha. *At Pontifex Damasus voluntarios canonum violatores spiritum sanctum blasphemare dicit.* Sed canones intelligit in verbo Dei fundatos, aut ipse tanquam noui Euangelij assertor, apostolico anathemate ferietur. Si verò tam immane facinus est, traditos à patribus canones violare, qua ratione vos ipsi, sexcentos in Concilijs patrum traditos canones secure, immo

proteruè violetis, à blaſphemia in ſpiritum ſanctum extricare poteritis. Ex tam multis, vno aut altero exemplo contenti erimus. Canon eſt Gangrenſis Concilij, Si quis diſcernit presbyterum coniugatum, tanquam occaſione nuptiarum quòd offerre nõ debeat, & oblatione ideo ſe abſtinet, anathema ſit. Alius eſt Eliberini Concilij: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, nè quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.* Annon vos eſtis horum canonum voluntarij violatores? Canon eſt Nicæni Concilij, qui Alexandrinum Epiſcopum Romano exæquat. Canon eſt Lateranenſis Concilij, qui iubeat ſecundùm rituum & linguarum diuerſitates, populis diuerſarum linguarum, diuina officia celebrari, & Eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtrari. Horum omnium canonum, & plurimorum præter hos, cùm vos ſitis voluntarij violatores, cur non ex Damaſi veſtri ſententia, blaſphemiam in ſpiritum ſanctum admittere dicendi eſtis? Sed verè in vos competit Chriſti ſaluatoris cõminatio, Vę vobis hypocritæ, qui onera grauiſſima alijs imponitis, quæ ipſi ne digitulo quidèm attingere dignamini. *Sed terret vos maximè opinor, quod à propheta dictum eſt. Ez. 14. Recedite ab idôlis: quodq; iterat Paulus, clamans, Fugite à cultu idolôrum: & Ioãnes repetit, Cuſtodite vos à ſimulachris.* Certè, niſi in vobis locum haberet quod pphe-ta optat idolôlatris, vt ſimiles fieretis hijs quæ colitis, hoc eſt, vt oculos habeatis & non videatis, aures & non audiatis, manus & non attrectetis, fieri non poſſet, non poſſet (inquam) fieri, vt ad tam fœdas veſtræ Eccleſiæ idolômanias cæci, ſurdi,

surdi, insensati conniueretis, conticesceretis, immo omnem eis stabiliendis operam accommodaretis, & interim non alia idôla prẽter Lutherum, Caluinum, Philippum, Brentium agnosceretis. Pari impudentia, ne dicam an cordis cæcitate ac stupore, antichristos ex illis facere conaris, *Vt qui aduersentur & extollentur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeant, ostendentes se tanquam sint Deus: & quicquid scribunt, quicquid dicunt, hoc tanquam expressum Dei verbum ab omnibus adorari contendunt.* Hoc quàm falsum est de illis, tam verum est de vestro Pontifice, qui errare se posse negat, in cuius pectoris scrinio õnes tàm diuinæ quàm humanæ leges conclusæ sunt, quem vos illius assecle, non obscurè, sed maximis clamoribus defenditis, solum ab humana errandi infirmitate, vt põtificẽ, immunem esse, adeo vt quæcũq; dicat aut scribat, vt põtifex, ea tanq̃ expressum Dei verbũ, immo supra expressum Dei verbum, ab omnibus suscipi atqué adorari debere contenditis, quem nemo mortalium, etiamsi innumerabiles secum animas in gehennam trahat, reprehendere aut iudicare debeat. Quòd verò prophetiam illam Pauli de antichristo, quasi præoccupare voluisti, & à vestris capitibus, in Lutherum, Caluinum, Philippum deriuare, vt risu dignum est, ita tam absurda est calumnia, vt ne verbo quidem refelli mereatur. Similis est futilitas, quòd ex Hieronymo, *Non solùm idôla dicenda ostendis, quæ ex materia metallica artificioq; humano fiunt, sed quæ simulatione hypocritica, in hæreticorum cerebro fabricantur, iuxta illud Pauli, Spiritus autem manifestè dicit,*

*dicit, quòd in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi falsiloquorum, cauteriatam habentium conscientiam.* Rectè Hieronymus. Optimè verò Paulus. Quę verò sunt ista idôla in hypocritarum cerebro fabricata? Consulamus Paulum. Is diserte respondet, matrimonij prohibitionem, ciborum abstinentiam. Responde & tu Hosi, & ingenuè fatere, si vel micum ingenuitatis habes, vestra sunt hæc an nostra idôla? Sed quid ego ab idôlo, quod nec vitam habet nec sensum, vocem responsionis expecto? Nimirum suo ipsius & Pauli iudicio versus est Hosius in idôlum. Quippe peruersi dogmatis assertor, Hosio pro idôlo habetur: asserit verò Hosius quod Paulo non solùm dogma peruersum, sed & diabolicum censetur. Quæ itaqué sequuntur ex Hieronymo, Augustino, Vincentio, vt probes non solùm idolôlatriam in scripturis dici, cùm coram statuis incuruamini, sed cùm hęretici sua phantasmata colũt, in vos ipsos omnia recidunt, qui nihil aliud quàm cordis vestri visiones, sub Ecclesiæ traditionum, & receptarum consuetudinum titulis profertis, defenditis: ac omnibus tãquam expressum Dei verbum, adoranda proponitis: & in matrimonij ac ciborum prohibitione, contra expressum Dei verbum decernere, expresso Dei verbo conuincimini. I nunc, & ad rauim vsqué, si libet, vociferare, *Fugite idôla, fugite idôla fugite Caluini, fugite Philippi fugite Brentij peruersa dogmata*, quorum qui peruersissima opinetur, nullus est qui tam impia, tam ex diametro sanctis scripturis repugnantia doceat,

quàm

quàm ipse pontifex vester Romanus, vosq; omnes eius mancipia,& canes aulici,qui etiam animas vestras diabolo, ob auream mitram, aut coccineum galerum, venales semper habuistis. Horum verò quorum nomina dentibus leoninis laceras, nemo est qui non fateatur, se labi posse, quiuè ex scripturis errore demonstrato, ad saniorem mentem redire non festinet,vtcunqué tanquam homines quidam eorum magnis infirmitatibus obnoxij ( quod ne vnus eorum vnquam dissimulauit)& in errores aliquot capti sunt,& eosdem pertinaciùs quàm oportuit,tutati sunt. Quòd verò Deos illos ( vt tibi placet) Germanicos,Homericis dijs nõ dissimiles facis, qui infestis in sese armis concurrerunt:& si maiorem in nonnullis moderationẽ,ac si vis etiam modestiam desideremus, ineptè tamen eius rei mentionem ingeris, nisi omnia inter Deos vestros Italicos & Romanos pacata, & à pugnis rixisqué abhorrentia tueri poteris. An tam occultas inimicitias, vos Ecclesiæ Romanę columina inter vos exercetis,vt cuiq̃ obscurum sit,q̃ intestinis & ad mutuã vestram pernicié accensis odijs inuicẽ flagretis? Sed non est nobis(dicis sat scio)pugna de dogmatibus,sed nec maximę vobis curæ sunt vlla dogmata, nisi quæ fastui vestro ac luxui sunt repugnantia. At interim, vel tu tandem, scholasticorum & monachorum etiam de dogmatibus digladiationes,pugnantesqué sententias,tanquam arbiter honorarius conciliabis ? Quàm verò iniquus sis aliorum censor, hoc ipso ostendis, quòd nec Lutherum ferre potes, impia Anabaptistarum dogmata refellentem,

lentem, quæ tamen vestrum nullus (quod scio) scripto redarguere conatus sit. Quòd si fuerit in Zuinglium iniquior Lutherus, condonandum fuit hoc vitium, tantis illius virtutibus. Sed odiosam tuam ac iniquissimam in Zuinglianos sententiam, tandem aliquando vindicabit numinis iusticia, quos cum pari æquitia, nequaquá prosequutos fuisse Lutheranos, vel inuitus agnoscas, negas tamen multo esse in eos mitiores, *Quibus prompta ad nocendum voluntas non deest, sed facultate se destitui vident.* Qua quæso facultate destituti sunt aut fuerunt vel Heluetiorũ & Allobrogũ ciuitates, vel Palatin⁹ princeps, vel Angliæ Scotiæquć reges, qua præditi sunt Saxones, aut quicunqué alij principes Lutheri de Eucharistia sententiæ fauent? Quòd si Caluinus & Ioannes à Lasko acrioribus scriptis Westphali, ac quorundam Saxonum (nec enim omnes adeo desipere certum est) petulantiam repressérunt, an ideo aqua & igni eos interdicunt, & ab omni Christianæ societatis fœdere repellunt? Si verò Lutherum, Bucerus & Tygurini, nimiæ pertinaciæ, (& meritò forsan) reum faciunt, an statim omnem ei Christiani doctoris authoritatem detrahunt? Boni isti viri, quòd suis inuicem vitijs non indulgeant, nec assententur, sed se mutuò & liberè (quod est officium Christiani hominis) vel erroris, vel prauí alicuius affectus admonẽt, pro tuo candore statim cruentum in certamen committuntur, vt quasi mutuis vulneribus confixi, simul omnes intereant. Dixit de Luthero Bucerus, *Si exigit nequis à se vlla in re dissentiat, probet se Deum esse.* His verbis tu Bucerum tacitè innuere

nuere genses, quòd Lutherum accusaret, tãquam pro Deo coli, suumqué verbum tanquam pro verbo Dei, ab omnibus adorari cuperet: cùm nemini obscurum sit, quàm sincerus fuerit eius in Lutherum animus, quàmq; honorificè de ipso senserit, vtcunqué alicubi suis placitis (quod humanum est) pertinaciùs inhærentem leuiter pungere coactus fuerit. Non impius modò, sed ridiculus etiam fuisset Lutherus, si Papam ideo sacrilegij damnasset, quòd sua placita pro Dei verbo adorari suscipiqué voluerit, ipse verò nemini fas esse vellet, à sua tanquam à diuina sententia vel latum vnguem discedere. Eâdem peruersissimi tui iudicij trutinâ, Caluini sententiam examinas, qua malè sanos quosdam Lutheranorum obiurgat, quòd Heliam vltimum Lutherũ appellauerint, quòd eo consilio Caluinum reprehendisse asseris, *Quia nullum sibi ab illis locum relictum videret, cùm se nulla re Luthero inferiorem iudicaret, quin superiorem etiam existimaret.* Atqui Caluinus alicubi Luthero, vltrò Euangelistę honorem detulit, nec se vnquam vltra pastoris aut doctoris munus extulit, nec à quoquo extolli passus est. Quòd si Lutherani quidã plus quàm par est, Augustanæ confessioni inhærendum cẽsuerunt, meritò reprehensionem incurrunt. De Osiandro homine inflato & noui dogmatis inuentore, non multùm laboramus, quid aut ille de Confessionisti, aut de eo ipsi senserint. Philippus autem si quę duriùs, licèt pio sensu à Luthero de libero arbitrio & prouidẽtia Dei scripta sunt, adhibita mitiore interpretatione explicauit: non minùs stultè à te, quàm impiè & malicioscè ab eius doctrina discessisse accusatur.

Quòd

Quòd si Flaccus turbas maiores dederit, quàm pro natura ceremoniarum excitari debuerunt, & Melanchthonem acerbiùs infectatus sit, nõ ideo falsa sunt õnia, quæ Philippus, aut Matthias ipse docuerint. Fruſtra igitur gloriaris, si quæ inter ipsos controuersiæ, non semper de rebus maximis exarserunt, suis mutuò vulneribus confossos esse, vt vobis sedentibus atqué silentibus, nihil nisi de spolijs cogitandum sit. Nec illa tua Rhetorica, potiùs quàm Christiana, ad Christum apostrophe, te ab impia θεομαχία, & fœda nimis simulatione liberabit, quasi tu scilicet nõ alio quàm idolôlatriæ metu & periculo à nostra doctrina abhorreas, qui tam fœdam crassamqué, & quæ manibus etiam tractari possit idolôlatriam, quotidie admittas, admittiqué à tuis publicè iubeas.

Verùm nunc tandem receptui canendum censes, si prius de eo quod sit expressum Dei verbũ paucis disserueris. *Et multa quidèm esse dicis in diuinis scripturis Dei verba, sed omni tamen illa sunt vnum Dei verbum, DILIGE. Omnis enim lex vno sermone impletur.* Ita nullum aliud expressum Dei verbum agnoscis, præter illud vnum, DILIGE, quia in eo lex omnis impleatur. Videsne te impure canis, manifestò excludere Euangelium, verbumqué fidei? Sed dandum est hoc forsitan imperitiæ tuæ, qui nescias vniuersam Dei doctrinam distribui in legem & Euangelium. Quis autem tibi sacrilegam temeritatem condonabit? quòd verbum illud abbreuians & consummans, quod apostolus, Rom. 10. diserte

vocat

vocat verbum fidei, te theologum & Episcopum non puduit, *In verbum charitatis transmutare, & hoc solum substitum verbum appellare.* Et ne alium quàm ipsum Suenkfeldium, aut potiùs diabolum per os eius loqui putemus, hoc tam diluci-dum, tamquè expressum Dei verbum asseris, vt etiam absquè scripturis discatur. Et huius impietatis testem, per summam impudentiam citas *Clementem Alexandrinum in libro pædag. 3. Cap. 12.* Quo libro ac capite ne syllabam quidem inuenias, qua vllum colorem tam magno & impudenti mendacio induere possis. Profitetur enim Clemens, per varia scripturæ sanctę testimonia, Christianorum vitam describere. Et cùm primo loco charitatem, vt virtutum omnium præcipuam, legis & prophetarum complementum ex scripturis posuisset, statim subijcit: Verumtamen est etiam distinctiùs adducenda pędagogi benignitas, per varia & salutaria præcepta, vt ex copiosa salute, & scripturarum ordinatione eã promptius inueniamus. Quod quidèm non minùs verè quàm eruditè à Clemente obseruatum est, vt suus constaret reliquæ scripturæ honos, vtcunquè charitas omnem legis & prophetarum (quatenus legis interpretes erant) doctrinam complectatur. Et vt omnia sint in vna charitate posita, vnde quęso modos finesquè eius charitatis, nisi ex sacris literis disceremus? Quòd verò charitatis verbum esse lucernam illam pedibus, lumenquè semitis prophetę asseris, illudquè præceptum quod illuminet oculos, omnem causarum & affectuum naturam, ordinem ac dispositionem, stultissima interpretatione con-

fundis, & quę Deus, & ipsa ratio voluit esse distinctissima, in vnam congeriem, quasi in chaos illud antiquum comportas atqué permisces. Sit via charitas, in qua pio homini ambulandum est, sit etiã vię finis ad quem contendit, quomodo tamen in charitatis semita, & ad charitatis metam ac scopum oculi intendendi, pedesqué dirigendi sint, quis sanus neget omnibus scripturæ præceptis, hortationibus, exemplis, instituendum esse hominem Dei, vt integer sit, adq; omne opus bonum paratus atqué instructus. Hîc rursus ingeris confessionistarum pugnas, quę licèt (vt sæpè falsi sumus) maiores sunt, quã Christianos decet, tam leuibus plerumqué de causis, non tamen tam capitalibus in se odijs dissident, vt tu fingis, quia charitatem etiam in maxima opinionum varietate ac dissentione retinent, qui sani sunt: nec enim omnes furias faceisquè belli ac contentionum mihi excusare propositum est. Fuerunt semper in externo Ecclesiæ cœtu, permixti hypocritæ, qui cupiditate cæci, superbia inflati, nullam fouendæ charitatis curam, nullum retinendæ vnitatis studium, ostenderunt. Ex horum moribus reliquos iudicare, quod tu semper facis, tam iniquum est, quàm falsum est, q̃ ad vnum omnes tanquam charitatis ac humilitatis vacuos traducis. Tanta insuper eos cæcitate laborare fingis, *Vt tùm tamai & inter se, & vobiscum cient pugnas, de expresso Dei verbo, tamen quod vnum & solum expressissimum sit Dei verbum, DILIGE, qui scopus est totius scripturæ, non videant.* Bone Deus! quid audio? non aliud est expressum Dei verbum in scripturis, præter vnum, DILIGE?

Quid

Quid fides, quę non operanti imputatur in iustitiam? Quid charitas Dei qua is nos prior dilexit etiam cùm inimici essemus? Quid finis legis Christus ad iustitiam omni credenti? Hæc omnia vt Anaxagoras in vno DILIGE repetes? Quo tu ore Suenkfeldium accusas, quòd omnes scripturas missas facere vellet, cùm tu nõ alium in scripturis, quàm charitatis scopum spectari posse contendis, atquę hoc tam expressum esse Dei verbum asseris, vt etiam absquę scripturis disci possit? Fatemur cum Augustino, non esse prorsus impiam, quàmlibet errantem à mente spiritus sancti interpretationem eam, quę geminam, vt ille vocat, charitatem ædificat: non tamen omnes scripturas ad solam regulam, sed ad fidei etiam normam & analogiam intelligendas esse agnoscimus. At negas vllam esse nostris ædificandæ charitatis curam, idquę colligis ex vsitatis apud quosdam vocibus, quę odium spirent, non dilectionem: *Troiz, Troiz, in despectum Papæ, in despectum Concilij.* At hæ, ni fallor, voces, si ab hominibus sani iudicij vsurpantur, odium significant nõ in fratres, sed in hostes Dei, quos etiam odio perfecto prosequi pium est. Nec enim alio loco habent Papam, quàm pro Antichristo: nec eius Concilium, quàm pro Ecclesia malignãtium. Tu verò, ô bone, qua charitate gregem Christi complecteris, quòd rude & indoctum vulgus, & mulierculas etiam, à sanctarum scripturarum lectione & cognitione, vnde salutem haurire debeant, omnino arcendas censes? Quòd sint quidam homines vtriusquę sexus, tanta superbia tumentes, vt contemptis

pastoribus, impias & indoctas interpretationes ex suo cerebro procudant. Eadem ratione, vulgus hominum cibo potuq; prohibeas, cùm sint nõ pauci, qui nullum in victu modum aut moderationem seruantes, ad internecionem animæ & corporis, nimio se cibo infarciant, potumquè ad ebrietatem vsquè ingurgitent. Quin & Gregorij Nazianzeni sententiam laudas; *Qui negat omnium esse de rebus diuinis disserere, aut semper, aut apud omnes, aut de omnibus.* Quasi nõ possint ac debeant pij omnes, in Dei lege meditari die ac nocte, nisi differant, & semper, & omnes, & de omnibus rebus diuinis. Certè nec vniuerso Israëlitarum populo Moses, nec Corinthiorũ Paulus, prophetandi donum inuident, immo ex animo optant, ne mulierculis quidem exclusis. Sed qui nihil nisi charitatem in scripturis discis, & absquè scripturis disci profiteris, tantane dilectione proximorum flagras, vt omnes in vniuersum homines, prẹter paucos sacrificulos neges esse homines, nec alio loco habeas, quam pro quadrupedibus? Ita-ne tuæ charitati porci sunt, & canes, qui ex rudi & indocto vulgo filij Dei sanguine redempti, ac mundati sunt? *Nec quadrupedes tantùm sunt, sed araneę etiam, quę nihil prẹter exitiale venenum ex scripturis sugant, quas arceri à scripturæ lectione præstaret, quæ non secus Rododaphnes folia, quadrupedibus venena, hominibus præsidia aduersùs serpentes.* Fœminas etiam ad colum relegas. Nunquid omnes (inquis) apostoli? nunquid omnes prophetę, nunquid omnes pastores & doctores? dicit apostolus. At nunc omnes apostoli, omnes prophetæ, omnes pastores esse volunt

sunt & doctores, quin etiam pastrices & doctrices. Quid ita verò mi Hosi? An quia nemo arceri debet à sanctarum scripturarum lectione, quas Deus tam publicas & necessarias esse voluit, quã solem aut aërem? An apostoli erant omnes? prophetæ omnes? pastores aut pastrices, doctores aut doctrices omnes, ad quos illud Pauli spectat? Habitet in vobis sermo Christi abundanter, in omni sapientia, docentes & admonentes vos invicem, Psalmis, hymnis, & spiritualibus cantionib⁹. Et quos Petrus laudat, quòd sermoni scripturarum prophetico, tanquàm lucernæ in obscuro loco lucenti attenderẽt, donec illucesceret dies, & Lucifer oriretur in cordibus illorum? Non dissimile acumen proximo etiam argumento prodis, *Quòd voluerit Christus corpus suum esse vnum membrum, isti verò contra volunt, vt omnia sint vnum membrum.* Et quare tandem? *Quia lectionem scripturarum omnibus esse communem volunt, vt omnium munerum esset cõfusum & dissipatum chaos, & inutilis quædam congeries omni symmetria sublata?* quid ita? quia omnes volunt esse doctores, aut doctrices. Dij te Damasippe deæque, verum ob consilium, donent tonsore. Impiè igitur Chrysostomus toties tamquè vehementer plebem ad scripturarum lectionem excitat. Audite (inquit) quotquot estis mundani, & vxoribus pręestis ac liberis, quomodo & vobis potissimũ pręcipiat scripturas legere, idq; non simpliciter, neq; obiter, sed magna diligẽtia. & iterũ, Audite (obsecro) seculares õnes, cõparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel nouum testamentum acquirite, &c. Hoc demum

malorum omnium causa est quòd scripturæ ignorantur. In Ep. ad Coloss. Hom. 9. & in 1. Ep. ad Cor. Hom. 6. *Qui salutem consequi volunt scripturis vacent. Neq; nunc fieri potest, non potest inquam fieri, vt quisquam salutem assequatur, ni perpetuò versetur in lectione spirituali.* In Luc. cap. 6. *Hoc enim est quod omnia quasi vna quadam peste corrumpit, quoniam lectionem diuinarum scripturarum ad solos monachos putatis pertinere, cùm multò magis vobis, quàm illis sit necessaria.* In Matth. Hom. 2. *Neq; frigida illa verba proferamus, & dicamus: Mundanus sum, & vxorem habeo, & puerorum curam gero: qui multis mos est, vt ita dicant, si quando nos rogamus, vt ad virtutem labores ingrediamur, vel studium adhibeant in sacris literis legendis. Non est hoc meum, dicit: Nunquid renuncians seculo? Nunquid monachus sum?* &c. Gen. Hom. 21. Plures paginas implerem, si vel dimidiam partem eorum, quę in hunc finē loquutus est Chrysostomus, adscriberem. Hieronymus etiam mulierculas ad sacrarum scripturarum lectionem hortatur, vt Lætam, eiusqué filiolam, Furiam, Eustochium. Immo messores & vinitores laudat, qui carminum Dauidicorum cantu, labores suos solarentur. Tu verò ex ista tua in Cōfessionistas excursione, nunc tandem ad institutum redis, *Vt pientißimo regi, quod sit expressum Dei verbum, quod verò expressum diaboli verbum, demonstrares: nam ex vna & eadem scriptura, vtrūq; produci posse, priùs à te ostensum est.* Primùm igitur in Augustini sententiam antea à te citatam concedis. In omni scripturarum interpretatione, vnam charitatem spectandam, cui aliquid si contrarium vllo intellectu ędificetur, diaboli verbum id sit,

Quòd

Quòd si etiam à mente Euangeliſtę, aut apoſtoli, quis ita aberrauerit, vt tamen in charitatem non impegerit, non pernicioſè fallitur, (tu etiam addis) nec aberrat à verbo Dei, cùm omnia Dei verba ſint vnum verbum, Dilige. Hîc rurſus vix è pugna egreſſus, iterum te feruor tuus in prælium vocat, quòd *Charitatem, charitatem, charitatẽ, nuſquam in ſcripturis non obuiã oculis, & expreſſiſſimũ Dei verbum, prorſus ignorant hæretici Lutherani, in quos rectè quadras illud ex Pſalmis, Oculos habent & non videbunt, aures & non audient, manus & nõ palpabunt.* At quàm benè in eũ quadrat, qui in eodẽ Pſalmo non animaduertit ſimulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, ſimiles ſint eis omnes qui faciunt ea, & omnes etiam qui confidunt in eis.

*At qui Euangelici potiùs quàm Chriſtiani vocari volunt, non modò vobiſcùm, verùmetiam inter ſe tam infeſtis minimèque Chriſtianis animis confligunt, vt quàmlibet immanes barbari, Chriſtiq; crucis inimici, magis hoſtiliter non poſſunt.* Quoties dicendum eſt, contra vos perfecto odio pugnandum eſſe, qui eſtis hoſtes crucis Chriſti, & ſub antichriſti vexillo contra Chriſtum militatis. Qui autẽ à vobis diſceſſerunt, non omnes in Chriſti caſtra cõceſſerunt, ſunt quidam hæretici, Anabaptiſtæ, Suenkfeldiani, Seruetiani, ſunt etiam hypocritę, qui ventri aut gloriolæ inſeruiunt, ſub veræ religionis prętextu, quorum nefarijs artibus, pij omnes, & ſani iudicij homines, illas concionum furias acceptas referunt. Et pij etiam ipſi interdum, modum excedunt, vt non omninò à charitate excidant. Tu quaſi omnia eſſent apud vos

oleo tranquilliora, nullas nisi nostrorum dis-
cordias cernere vis, nunquam tamen vsqué adeò
exarserunt nostrorum cõtentiones, vt in bellum
etiam ac cædes prorumperent, cùm non semel
apud vos pontifices, cardinales, & episcopi, infe-
stis signis concurrerunt, iustisq; prælijs lites suas
determinauerunt. Verùm, quia nõ aliud agnos-
cis expressum Dei verbũ, præter hoc vnum, Di-
lige, operæ prætium est obseruare, & qualem di-
lectionem intelligas, & quãtum ei tribuas. Pri-
mùm igitur, non geminam illam charitatem,
quam celebrauit Augustinus, te intelligere, sed
alterã tantùm, & inferiorem eius partem mani-
festa tua oratio satis indicat, cui vni & soli omnia
ascribis. *Cur non* (inquis) *in hoc vnum omne studium*
*nostrum impendimus, quod vnum & solum ad salutem*
*nobis necessarium scimus, vt quæ propria est filiorum*
*Dei nota, mutuam inter nos fraternam charitatem reti-*
*neamus?* Hîc de cultu Dei, deq; nostra in Deum
fiducia, nulla mentio. Et ne semel hoc quasi te-
merè à te dictũ existimemus, nõ multò post ad-
ijcis, *Quæ sola salutem nobis adfert charitatem, nemo*
*retinere potest, quin quãto magis de scripturis, deq; ex-*
*presso Dei verbo feruet disputatio, tanto magis in ani-*
*mis mortalium, q̃ solam scripturę sonant omnes, refrigescit*
*charitas.* Et mox, *Exulat charitas, quæ sola nobis ex-*
*pressè præcipitur in Euangelio.* Et iterũ paucis inter-
iectis, *Expressum hoc est diaboli, non est expressum Dei*
*verbum, cùm sicut iam toties à nobis dictum est, expressũ*
*Dei verbum sola sit charitas.* Ecquid expectamus à
Suenkfeldio, vel in Dei verbum, vel in fidem ca-
tholicam, vel in cultum diuinum, vel in Dei er-
ga nos dilectionem contumeliosius? Qui solùm

fidem

fidem ad iustitiam sufficere credenti asserunt, & si ne latum quidem vnguem à spiritus sancti mente discedant, & vsitata antiquissimis patribus loquendi formula vtantur; magnis tamen vociferationibus à vobis exagitantur, quasi charitatem excludant, bona opera damnent, spem etiam pro nihilo ducant, & vobis ô Staniſlae, licebit omnia ad vnam & solam charitatem referre? *Vni fraternæ charitati studium impendendum, quę vna vt sola ad salutem nobis necessaria est, ita salutem nobis affert, quum solam scripturæ sonant, quę sola nobis expressè præcipitur in Euangelio, cùm expressum Dei verbum sola sit charitas.* Quo magis admiror, quo sensu protuleris paulo ante, illa Augustini testimonia. Turbam imperitam credendi simplicitas, non intelligendi viuacitas tutissimam facit. Et homo, fide, spe, charitate subnixus, easq; inconcussè retinens, nõ indiget scripturis, nisi ad alios instruendos, multi etiam in solitudine sine codicibus viuunt. Priori sentẽtia Augustinus fidem, qua sine vlteriore disquisitione in Dei promissis acquiescimus, curiosæ & omnium causarum indagatrici scientię præfert. In altera, vsum & scopum scripturarum esse docet, vt ad fidem, spem, & charitatem erudiamur, & in ijsdem cõtineamur, quæ si ita imbiberimus, vt de perpetuò retinendis etiam certi simus, nõ amplius indigemus scripturarum libris, cùm non alius est codicum vsus, quàm ad intellectum erudiẽdum, & memoriam adiuuandam. Tibi forsan visus est Augustinus, prẹter consuetudinem, ignorantiæ plebeiorum fauere, & sacrarum literarum studia, non vsquẽ adeo necessaria opinari, quod

tu cupidè nimis arripuisti, quantùmuis fidem & spē, quasi individuas comites veræ charitati adiungat, quam tu vnam & solam, non eminere vt præcipuam, sed esse vnicam & necessariam tantùmodo ad salutem astruis. Iam verò charitatē in sola Ecclesiæ vnitate statuis, in quo tibi libentèr assentimur, modò ne qui extra Ecclesiam scripturam loquitur, mendacium loqui putandus sit, multò minùs dicendum, quòd diabolus os eius aperit, & est diaboli verbum. Satis erat sensum impium damnare, vt mendacium à patre mendacij profectum: at ipsam scripturam, vel in ore diaboli, mendacium appellandam, & pro verbo diaboli habendam, nemo nisi diaboli instinctu dixerit. Cùm ex suo (inquit Christus) loquitur, mendacium loquitur: & ipse scripturam impio sensu à mendacij patre prolatam, non rejicit vt mendacium, nec damnat vt diaboli verbum, sed genuinum eius sensum, ex altera scriptura eodem afflatu conscripta aperit. Sed ingenuè facis, & præter morem tuum, qui fatearis Ecclesiæ honorem ac titulum vestro cœtui negari, Confessionistis eam sibi vendicantibus. *Sed Ecclesiam apud nos vbi sit ostendi vis, & nusquam ostendi posse putas, propter discrepantes quasdam Philippi, Brentij, Illyrici, aut aliorum sententias.* Quasi non possint esse in catholica vnitate, discordantes de rebus non maximi momenti opiniones, modò fundamentum vnicum salutis teneatur inconcussum. Paulus, Barnabas: Petrus, Paulus: Victor, Irenęus: Cornelius, Cyprianus: Augustinus, Hieronymus, & Ruffinus: alijqué quàm plures, in diuersas sentētias à se inuicem diuisi sunt. Quos tamen

tamen omnes in catholica vnitate manſiſſe, nemo prudens dubitauerit. Tibi verò in tantis hominum diſcordijs tutiſsimum videtur, vt in qua quiſquè natus eſt, & in Chriſto fœliciùs renatus, in ea Eccleſia maneat. Hic autem loçus, qui tibi ex omnibus tempeſtatibus trãquilliſsimus portus videtur, non minus habet periculi & incertitudinis, quàm ſi in medio pelago nauis noſtra iactaretur. Nam ſi tibi conſultum eſt, vnicuiquè in eadem manere Eccleſia, in qua quis natus & baptiſmo tinctus ſit, quid facient, qui per annos hoſce quinquaginta aut ſexaginta, à Lutheranis, & in Lutheranorum Eccleſia baptizati ſunt? Vera autem regeneratio, non eſt niſi in Eccleſia Dei, in quocunq; cœtu, aut quibuſcunq; miniſtris externum eius ſymbolum collatum fuerit. Eiuſdem eſt ingenij & acuminis, quod neminem Chriſtianum & orthodoxum dubitare ſimis, vtrum ea ſit Eccleſia Dei, in qua non ipſe modò, verùm & parentes eius, quin & aui & proaui, Chriſti fide ſint imbuti; quod argumentum tam efficax eſt ad retinendos in ſua profeſsione innumeros Lutheranos, & Bohæmos, quàm ad confirmãdos in ſua hæreſi Papiſtas. Quanquam qui ex Papiſtis auis & atauis oriundus eſt, propter externam Chriſtianiſmi profeſsionem, & ſacramẽti participationem, ex Chriſtianis ſe natum profiteri poteſt, quamuis non ſemper aut pijs aut bonis: ſicut decem tribuum progenies, quàmuis à vero Dei cultu ad idôla defeciſſent, retinebant tamen aliquam externam veri Dei adorandi profeſsionem, & circumciſionis ſacramento diſcernebantur à gentibus, quod irritum

non

non erat in hijs qui ex illa colluuie, ad veram Dei religionem resipiscerent. *Sed impingunt in meridie tanquàm in tenebris, qui vestrum cœtum non agnoscant pro Ecclesia: Quia in sole posuit tabernaculum suum Deus, & super montem collocauit ciuitatem suam Ecclesiã, quæ abscondi non potest.* Scilicet, haud aliam habet verę ecclesię notã vester cœtus, quàm quòd abscondi non possit. Non est igitur Ecclesia vestra mulier illa Apocalyptica, sole amicta, lunam calcans, sideribus redimita, quæ in desertum à dracone pulsa fugit, atqué ibi per tempus tempora & dimidium temporis dei pręsidio abdita remansit. Illud verò tabernaculum in sole positum, quale sit, videat interpres vester vetus. Dauid certè Hebręus, vt & Hieronymus testis locuples fatetur, soli positum á Deo tabernaculum in cœlo celebrat, non Deo in sole. Et ciuitas supra montẽ posita sunt apostoli, qui & lux mũdi, & lucerna accensa supra candelabrum posita, & sal terræ, & alia quæ in vniuersam Ecclesiam non competunt, apellantur. Nos verò credimus Ecclesiam sanctam catholicam, quæ non cadit in sensum, sed fide tantùm apprehenditur. Est enim fides eorum quæ non cernuntur ἔλεγχος. Heb. 11. Et Hierusalem quæ sursùm habitat, longè ab hominum oculis remota, nostra omnium mater est. Gal. 4. Tu verò de Ecclesia controuersiam omittis, quòd eam copiosè tractaueris in scripto contra prolegomena Brentij, & tibi ipsi triumphum canis, quòd demonstrasse te putas, non esse apud eos expressum Dei verbum, sed diaboli, qui de eo maximè gloriantur,

cùm

cùm expressum Dei verbum sit sola charitas. Mox ad regem te conuertis, cuius cùm in te beneficia commemorasti, sollicitudinem tuam de illius salute eidem testatam vis, & quidèm tantam, vt etiam cum vitæ dispendio è sublimi ecclesiæ tum labentem corpore sustinere paratus sis. Quod quàm sit vero simile, argumento esse potest, quòd paulo post, in cardinalium numerum à pontifice relatus, Romanæ Ecclesiæ columna effectus, & omnium regum & regnorum hostis suratus sis. Deinc, vbi studium tuum in asserenda pontificia doctrina nunquam defuisse ostènderis, ad veteres & rancidas illas Babylonis ruentis querelas denolueris. Omnium malorum quibus Polonia vexatur iniquiam, in quæstiones quasdam de expresso Dei verbo publicè excitatas deriuare cupis. *Et cùm non aliud sit expressum Dei verbum, quam quod à te dicimus, quod tam clarum, tam perspicuum, tam expressum est, vt etiam absqué scripturis disci possit, scripturæ libros solis sacerdotibus permitti postulas, cæteros ex eorum ore pendere æquum censes.* Atq; hæc est præclari operis de expresso Dei verbo conclusio, vt contemptis alijs omnibus quę in sacra scriptura traduntur Christianæ doctrinæ capitibus atqué argumentis, non aliud expressum Dei verbum agnoscamus, præter vnam & solam charitatem, quæ etiam absqué scripturis à quàmuis radibus & imperitis disci ad salutem sola necessaria & possit & debeat. Quod quàm horrendum sit Christianorum auribus & animis, tacitis potiùs cogitationibus bonorum relinquo, cùm in tantam blasphemiam ac contumeliam, qua Deus eiusqué

sacro-

sacrosanctæ scripturæ afficiuntur, nihil tam acerbè dici queat, quin id huius flagitij indignitas atque atrocitas longè superet.

* * *

FINIS.

LONDINI, TYPIS
Henrici Middletoni.

Anno. 1578.